MASTER NEGATIVE
NO. 93-81607-12

AUTHOR:

KIENZLE, HERMANN

TITLE:

OVIDIUS QUA RATIONE COMPENDIUM...

PLACE:

BASILEAE

DATE:

1903

Master Negative #

93-81607-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kienzle, Hermann.

Ovidius qua ratione compendium mythologicum ad Metamorphoseis componendas adhibuerit ... Basileae, ex officina zum Basler berichthaus a.-g., 1903.

68 p., 1 l. 23cm.

Inaug.-dis.—Basel.

VOLUME OF PAMPHLETS

1. Ovidius Naso, Publius. Metamorphoses.

Library of Congress 5-1288†

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7/23/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

OVIDIUS

QUA RATIONE COMPENDIUM MYTHOLOGICUM AD METAMORPHOSEIS COMPONENDAS ADHIBUERIT.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
UNIVERSITATIS BASILIENSIS
PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

HERMANNUS KIENZLE
BASILIENSIS.

BASILEAE.
EX OFFICINA ZUM BASLER BERICHTHAUS A.-G.
MCMIII.

OVIDIUS

QUA RATIONE COMPENDIUM MYTHOLOGICUM AD METAMORPHOSEIS COMPONENDAS ADHIBUERIT.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
UNIVERSITATIS BASILIENSIS
PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

HERMANNUS KIENZLE
BASILIENSIS.

BASILEAE.
EX OFFICINA ZUM BASLER BERICHTHAUS A.-G.
MCMIII.

ERICO BETHE

SACRUM.

CAPUT I.

Ovidius quid e Vergilii Aeneide mutuatus sit.

Ovidius in amplissimo librorum suorum tertio decimo inter Memnonis et Anii filiarum fabulas pauca inseruit de Troia eversa et de Aenea cum patre Anchisa profugo (623 ss.). Cum autem narrationes de Anii et de Orionis filiabus ad finem perduxisset, ad Aeneam reversus brevissime perstrinxit eius errores, quibus Delo in Siciliam defertur (705—724). Pauca deinde praefatus de Siciliae situ (724 ss.) summa colorum venustate depinxit, quomodo Polyphemus amorem suum fassus esset Galateae quae Acidem diligeret, nec non quomodo Glaucus Scyllam irrito persecutus esset amore et Circe Glauci amore capta aemulam venenis in monstrum mutasset (XIII 732 — XIV 74).

XIV 75 iterum ad Aeneam reversus extremis quidem lineamentis Didonis amorem et mortem, Aeneae in Siciliam reditum, navium incendium, iter ad Sibyllam factum exposuit (75—105); contra uberius Sibyllae fabulam (130—153), Cyclopem ab Ulixe excaecatum (167—222), Ulixis socios a Circe in sues mutatos (242—309), Pici historiam (310—434) tractavit. Et ea quae 466—511 de Diomedis sociis in aves conversis et 512—526 de pastore Apulo a nymphis in oleastrum transformato narravit, margine quasi inclusit Ovidius narratione de Aeneae Turnique rebus gestis (441—466, 527—580). Adiecit denique Aeneam inter deos relatum esse (581—608).

Vides quae distractis litteris adposui ad Aeneae res spectare et ita inter se cohaerere, ut demptis reliquis continentem rerum seriem efficiant. Neque incertus eris quem auctorem ad haec narranda secutus sit Ovidius. Ut enim praetermittam, quicumque post Vergilium Aeneae narrationes tangeret, illius carminis vestigiis

eum ingressum esse per se intellegi, hoc ut teneas quaeso, contractas quidem sed easdem res eodemque ordine Ovidium ac Maronem proferre.

Quae autem ex Aeneide ad usum suum Ovidius conformavit assidue interrumpuntur fabulis ab Aeneide alienis, ac mirum quantum artis ad exornandas eas insertas contulerit, ita ut Aeneae res quasi fundamenta narrationibus illis copiosius illustratis subiectae sint.

Jam vero utriusque poetae verba accuratius comparemus, scilicet qua ratione quatenusque Ovidius exemplum suum secutus sit statuamus, quid omiserit, quid retinuerit, quid mutaverit, quid de suo inseruerit.

Atque hoc praemittam, Vergilium quidem compositionem ita instituisse, ut in fine l. I exponeret, quomodo Aeneas in medio a Sicilia in Italiam cursu tempestate oppressus Carthaginem delatus esset, in l. II autem Aeneam Troiae excidium ipsiusque fugam Didoni narrantem induceret, contra Ovidium librorum Aeneidis serie dissoluta secundum temporis ordinem Aeneae ex urbe Troia fugam praevertisse iis quae Carthagine facta essent. Quae autem in l. II Aeneidis de Troia capta legimus Ovidius omisit, cum iam XIII 403 ss. hanc rem protulisset.

Proficiscitur igitur narratio met. XIII 624 ab Aenea cum Anchisa et Ascanio profugo, quibus respondent Aeneidis II 634—804: [1])

„sacra et, sacra altera, patrem
fert umeris, venerabile onus, Cythereius heros.
de tantis opibus praedam pius elegit illam
Ascaniumque suum.“

Troiani deinde cum classe Antandro (Ov. 628; Verg. III 6) profecti (Ov. 627 ss.; Verg. III 1—12; cf. imprimis Ov. 627 s. cum Verg. 11 s.) primum quidem in Thraciam perveniunt (Ov. 628 s.; Verg. 13—68), quam Polydori simulacro commoti mox relinquunt (Ov. 629; Verg. 19 ss., 28 s.).

[1]) Locos Vergilianos, quibus Ovidii versus respondent, diligenter congessit editor R. Ehwald in annot. ad l. XIII, v. 623 ss. (Die Metamorphosen des P. Ovidius Naso, zweiter Band, Buch VIII—XV; Berlin 1898, Weidmann'sche Buchhandlung.)

Delum deinde insulam ventis secundis attingunt (Ov. 630 ss.; Verg. 73 ss.), ubi ab Anio rege hospitio excipiuntur (Ov. 632 s.; Verg. 80 ss.).

At iam Ovidius Vergilium ducem dimisit (634). Nam cum proximis verbis ad ea, quae Vergilius v. 82 obiter de Anchisae et Anii hospitio commemoravit, de suo nonnulla addidisset (634 ss.; cf. tamen v. 643 cum Verg. v. 81), Anii filiarum fabulam inseruit. Atque attendas quaeso qua ratione Ovidius transitum ad novam rem fecerit. Nam inter epulas, dum Anius hospitesque „munera cum liquido capiunt cerealia Baccho“ (v. 639) Anchises veterem amicum interrogat de eius liberis, quos olim quinque viderat. Tum pater Anius filiarum suarum sortem a Libero in columbas conversarum narrat.[2])

Neque minus se dignum poeta adhibuit artificium, ut Orionis filiarum fabulam[3]) apte afferret (685—699). Postquam enim Vergilium secutus adnotavit, Troianos Apollinis templum adiisse et a deo oraculum accepisse, ut „antiquam matrem“, i. e. Cretam, peterent (Ov. 677—679; Verg. III 84—120), narrat, Anchisem et Aeneam, antequam Delo abiissent, ultro citroque dona dedisse et accepisse (679 ss.). Anchisae quidem Anius impertivit sceptrum, Ascanio pharetram et chlamydem, Aeneae vero crateram ab Alcone Hylaeo fabricatam, in qua caelata erat Thebarum urbs, Orionis filiae vim sibi afferentes, Coronae iuvenes ex cinere illarum exorti.

Redit narratio ad Aeneae errores v. 705. Ex Creta, quam Troiani oraculo moti petierant, mox profecti (met. 705—708; Aen. 121—191; cf. impr. 104—108, 170 s.) tempestate ad Strophades insulas deiiciuntur, unde ab Harpyiis depelluntur (Ov. 709 s.; Verg. 192—269). Res apud utrumque poetam eaedem sunt, nisi quod ea, quae Vergilius centum et quinquaginta fere versibus explicavit, Ovidius in paucos contraxit. Nihil autem attinet locos apponere, qui apud utrumque conveniunt, quoniam R. Ehwald in annotationibus ad met. XIII 705 ss. diligenter eos collegit.

[2]) De Anio et eius filiabus Euphorio carmen composuerat; cf. Meineckii Anal. Alex. p. 17. Inter res Troianas fabulam sedem habuisse Apollodorus testis est; cf. bibl. ep. Vat. III 10.

[3]) Cf. Anton. Liberal. 25.

Pergit apud Vergilium Aeneas errores suos narrare his verbis (Aen. III 270 ss.):

„iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos
Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis;
effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
et terram altricem saevi execramur Ulixi;
mox et Leucatae nimbosa cacumina montis
et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi;
ancora de prora iacitur, stant litore puppes.“ [4])

Quibus respondent apud Ovidium v. 711 ss.:

„et iam Dulichios portus Ithacamque Samonque
Neritiasque domus, regnum fallacis Ulixis
praeter erant vecti: certatam lite deorum
Ambraciam versique vident sub imagine saxum
iudicis, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est,
vocalemque sua terram Dodonida quercu
Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
inpia subiectis fugere incendia pennis.“

Apparet imitator Vergilii: easdem insulas praeter Zacynthum enumerat, commemorat Ulixem, narrat Troianos ad Actium venisse. Tamen, ut intexat fabulas de iudice Ambracio et de rege Molossorum obiter commemoratas, de suo addit, Troianos Ambraciam venisse ibique saxum vidisse, in quod Cragaleus [5]) mutatus sit, nec non oraculum Dodonaeum „Chaoniosque sinus“ adiisse, ubi Munichi filii in aves conversi sint. [6]) Quibus insertis male turbata est itineris ratio.

Pergit Vergilius III 291 ss. Aeneam „Phaeacum arces“ praetervectum ad Buthrotum in Epiro pervenisse ibique in Helenum incidisse et ab eo de reliquo itinere doctum esse (— 462). Unde profectum plenis navigantem velis, ubi primum dies illuxerit, Italiae oram orientalem cepisse. Mox in Siciliam traiectum vitatis Scylla et Charybdi classem litori appulisse prope Aetnam montem.

[4]) Recto talo hos versus non stare iam schol. Aeneid. III 274 observavit: „Leucatam promontorium Epiri iuxta Ambraciam situm falso autumat.“ Sed fortasse Apollinem Actiacum Vergilius intellexit.

[5]) Anton. Liberal. 4 (ex Nicandro) Cragaleum in Dryopum terra prope Thermopylas habitasse dicit. Ipse Ovidius fabulam in alium locum transtulit; cf. Plaehn, de Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio adhibitis; diss. Hal. 1882, p. 47 s.

[6]) cf. Anton. Liberal. 14 (ex Boei Ornithogonia? cf. Knaack, anal. Alex.-Rom. p. 10).

Idem est Troianorum iter apud Ovidium (719—723), eaque brevitate res narrantur, ut litteratos lectores Nasonem respexisse appareat. In eo tantum, quamquam ad verbum fere v. 730 e Vergilio (v. 420) transtulit, ab auctore discedit, quod Troianos ad Zanclen, prope Scyllam et Charybdim, naves appulisse dicit v. 728 ss. Correxit igitur Vergilium, ut fabulas de Scylla Glauco [7]) Galatea Polyphemo [8]) Acide [9]) artificiose inter se connexas, quae nullo quidem pacto ad Aeneam, certe tamen ad Siciliam pertinent, idoneo loco insereret (XIII 732 — XIV 74). Quibus narrationibus, ut aptum ad eas transitum sibi faceret, brevem Siciliae descriptionem praemisit (724—727).

Scyllae fabula ad finem perducta Ovidius XIV 75 ad Aeneam revertitur:

„hunc (sc. scopulum Scyllae) ubi Troianae remis avidamque Charybdin
evicere rates, cum iam prope litus adessent
Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.
excipit Aenean illic animoque domoque
non bene discidium Phrygii latura mariti
Sidonis; inque pyra sacri sub imagine facta
incubuit ferro deceptaque decipit omnes.“

Vides versus 75—78 argumentum esse Aeneidis primi libri, versus 79—81 quarti. [10]) Praeteriit igitur Ovidius, quae extrema parte Aeneidis l. III leguntur, scilicet Achaemenidem narrasse fabulam de Polyphemo et Ulixe (588—691), — XIV 158 ss. demum eam attulit —, et Anchisae mortem (692—715).

[7]) Ovidiusne ipse Glauci cum Scyllae fabulam coniunxit?

[8]) Quae de Polyphemo Ovidius narrat coloribus a Theocrito (11, 9 ss.), Homero (Od. 9), fortasse etiam a Callimacho depromptis exornavit. Cf. Holland, de Polyphemo et Galatea, in Leipz. Stud. VII. 1884, p. 253 ss., p. 272 ss.

[9]) Acidis fabulam primus Callimachus litteris mandasse videtur. Cf. Holland l. l.

[10]) Hic Aeneidis liber ab Ovidio heroid. VII diligenter adhibitus erat.

Aeneidis V libri argumentum continetur v. 82—90, quos ipse cum Vergilio conferas. Annotaverim modo, quae de suo Ovidius addiderit, scilicet Aeneam Aeolias insulas Inarimen Prochyten Pithecusas praetervectum esse (86—90). Quas insulas enumerat, ut Cercopum fabulam afferat (91—100).

Aeneam classe Cumas appulsa Sibyllae antrum adiisse, aureo ramo capto cum ea ad inferos descendisse, proavorum et patris ibi umbras vidisse, Caietam inde navigasse Ovidius XIV 101—440 Vergilio auctore narrat, qui has res in l. VI exposuit.

Aliunde autem interposuit Sibyllae fabulam (120—154), quam ipsa Sibylla Aeneae narrat, nec non quae Ulixi et eius sociis apud Polyphemum[11]) (160—222), Aeolum[11]) (223—232), Laestrygones[11]) (233—242), Circen[11]) (243—434) accidissent. Hos omnes Ovidius solita sua sollertia induxit: Caietae enim Troiani Macareum, unum ex Ulixis comitibus, offenderunt. Et cum ille Achaemenidem socium, quem Troiani in Sicilia Polyphemum fugientem navibus receperant, agnovisset, uterque quae passus esset amico narravit.

Ceterum Ovidius Achaemenidis narrationem ita tractat, ut insertis aliquot frustulis Homericis (cf. Od. 9, 481, 536 etc.) tamen omnino Vergilium (III 588—654) sequatur. Ita pariter ac Maro Achaemenidem describit; cf. Verg. 594 „consertum tegumen spinis“ cum Ov. 166 „iam suus et spinis conserto tegmine nullis.“. Nec praeteream, cum secundum Vergilium Misenus aureo ramo reperto Sibylla auctore sepultus sit, Ovidium neglecta temporum ratione iam ubi Aeneae classis portum Cumaeum intret „canori Aeolidae“ (v. 102) tumulum commemorare.

Eodem modo ac Vergilius, sed multo brevius Ovidius refert Caietam, Aeneae nutricem, mortuam esse, a qua litus nomen acceperit, et Troianos, cum Circes insulam celeriter praetervecti denique in Latium pervenissent, a Latino exceptos esse, sed Turnum bellum contra advenas movisse (XIV 441—451). Argumentum hoc est Aeneidis libri VII.

At qui adhuc tam arte Vergilium secutus est, ut singulorum librorum argumenta discerni possent et qui interdum verbotenus exemplum suum expressit, valde comprehendit ea, quae in libris VIII—XII leguntur, neque ordinem rerum exempli sui servavit. Ita a Vergilio discrepans Turni ad Diomedem legationem ante pugnam navalem factam navesque Aeneae in nymphas transformatas dimissam esse dicit.

[11]) Has narrationes Ovidius ex Odyssea hausit.

Sed accuratius examinemus eas fabulas, quas, cum a Vergilio brevius tractarentur, Ovidius suo more dilatavit et exornavit.

In ea quidem quae est de Diomedis sociis in aves conversis fabula narranda (458—511) Nasonem praeter Vergilium fontem ampliorem[12]) adhibuisse propterea statuendum est, quod rem accuratius narrat; ita indicat v. 508 ss. quales Diomedeae aves sint, cum Vergilius XI 273 s. universe de avibus aquatilibus loquatur. Attamen apparet Ovidium fabulam attulisse Vergilii exemplo commotum, qui eam leviter tetigit in iis, quae Diomedes Venulo respondit (Aen. XI, 271—274). Cum autem apud Vergilium Venulus responsum illud ad Turnum referret, Ovidius Diomedem ipsum loquentem induxit (464 ss). Ac manifestum est hoc eum fecisse, ut commodius versibus intexeret fabulam de pastore Apulo a nymphis in oleastrum mutato (512—526), quam Venulum in itinere, cum in Messapia antrum nympharum viseret, comperisse fingit.

Fabulam autem de navibus Aeneae in nymphas mutatis, quam narrat Vergilius IX 1—122, Ovidius XIV 530—565 ita conformavit, ut leviter modo id tangeret 535 s., quod Vergilius 77—106 late explicat, scilicet Aeneae naves Matri magnae sanctas fuisse, ipsam autem mutationem, quam Vergilius paucis verbis narrat, dilataret coloribusque exornaret. Sed non modo Vergiliana exornavit, verum etiam addidit haec: naidum illarum mos fuisse navibus laborantibus succurrere exceptis Graecis, atque laetas eas vidisse Ulixis navem Jovis fulmine fractam (cf. Od. XII 417 ss.) Alcinoique navigium in saxum conversum.[13])

[12]) De fonte, quem Ovidius adhibuerit, cf. Ehwald in annot. ad v. 484, cui adsentitur R. Ritter, De Varrone Vergilii auctore p. 11; Diss. Hal. 1901. Neque inepte conferas cum v. 458 s., quae Anton Liber 37 dicit: „ἐπεὶ δὲ παραγενόμενον αὐτὸν ἔγνω Δαύνιος ὁ βασιλεὺς ὁ τῶν Δαυνίων, ἐδεήθη τὸν πόλεμον αὐτῷ συμπολεμῆσαι πρὸς Μεσσαπίους ἐπὶ μέρει γῆς καὶ γάμῳ θυγατρὸς τῆς ἑαυτοῦ.“

[13]) Unde fluxerint Naides auxiliantes, Ehwald ostendit in annot. ad v. 561. Similia enim auctores narrant de Diomedeis avibus, cf. Lycophr. Alex.

En certissimum exemplum, unde discamus, quomodo Ovidius fabulas suo Marte illustraverit.

Quod vero in extrema Vergilii Aeneide legitur, Aeneam Turnum certamine occidisse belloque ita finem attulisse (XII 791 ss.), his verbis Ovidius expressit (XIV 572 s.): „tandem ... Venus victricia nati arma videt, Turnusque cadit.“

Unde autem sumpserit, quae ultra Aeneidem de Aeneae rebus narrat, de Ardea urbe, ex cuius cineribus avis eiusdem nominis nata sit (573—580), nec non de Aenea ab Jove inter deos relato (581—608), quaestionem dimoveamus; hoc unum moneam, Nasonem iam apud Vergilium (XII 794 s.) Aeneae apotheosim significatam legisse.

Jamiam ut brevi conspectu percipias, quae Ovidius Vergilio debeat, tabulam adscribam, uncis includens, quae Ovidius ipse inseruit:

	Verg. Aen.	Ov. Metam.	
I	Aeneas ex Sicilia in Italiam profectus tempestate in Africam defertur, ubi a Didone excipitur.	XIV * 75—80	
II	Aeneas reginae casus suos narrat:		
	Troiae excidium, ipsius cum Anchisa et Ascanio fugam.	cf. XIII 624 - 627	
III	Pergit Aeneas res suas narrare:		
	patria relicta Delum ad regem Anium,	627—633	[Anii filiae 640—674; Orionis filiae 685—699]
	in Cretam,	705—708	
	ad Harpyias insulas,	709 s.	[Cragaleus 713—715]
	in Epirum se pervenisse, ubi ab Heleno de itinere certior factus	720—723	[Scylla, Galatea, Cyclops, Glaucus, Circe 732—XIV 74]
	in Siciliam traiecerit,	724	
	de Cyclopibus, Achaemenide,	cf. XIV 160—222	
	Anchisae morte.		

604 ss., Ant. Lib. 37, schol. Aeneid. XI 271. Ovidius cum paulo ante Diomedis responso fabulam de his avibus insereret, hanc rem praeteriit et ad narrationem de Aeneae navibus transtulit.

* Quae asterisco notavi, ab Ovidio sede mutata afferuntur.

IV	Didonis amor et mors. Aeneae ex Africa fuga.	XIV 78—82	
V	Aeneas in Siciliam defertur.	83	
	Ab Acesta receptus patri mortuo parentalia parat.	83 s.	
	Naves ignem concipiunt.	85	
	Segesta urbs condita.		[Aeolidae insulae 86 s.]
	Palinuri mors.	88	
	Sirenarum insulas praetervehitur.	88	[Cercopes 89—100]
	Ad Cumas appellitur.	104 s.	
VI	Cum Sibylla ad inferos descendit.	104—155	[Sibylla 130—153]
		* 160—222	Achaemenides [Macareus de Aeolo, Laestrygonibus, Circe, Pico, Canente narrat 223—440]
VII	Caieta.	441—444	
	Circe.	446 s.	
	Troiani Tiberim cum classe intrant.	447 s.	
	A Latino excipiuntur.	449	
	Turnus contra Aeneam bellum incipit.	450—452	
VIII—XII	Turni contra Aeneam bellum.	452—511, 527—573	
	Imprimis conferantur inter se:		
IX	1—122: Aeneae naves.	530—565	
XI	225—295: Turni ad Diomedem legatio missa.	* 457 ss.	[Diomedis socii 462—511; cf. Verg. XI 271—274; pastor Apulus 512—526]
XII	Turnus ab Aenea victus.	572 s.	[Ardea 574—580] [Aeneae Apotheosis 584—608]

Jam primum hoc statuendum est sat grave: Ovidius fontem adhibuit qui omnibus cognitus erat, neque solum aut hic aut illic narrationem imitatus est vel coloribus ex exemplo suo depromptis versus exornavit, sed per mille fere versus Vergilii Aeneidem secutus est tamquam ducem. Atque huic Aeneidis rerum seriei fabulas intexuit, quae nullo modo ad Aeneam pertinent, metamorphoseis eas omnes ex diversis fontibus comparatas, quas libidine aut significavit in transcursu aut ubertimis coloribus exornavit. Has autem fabulas insertas sollertibus artificiis cum iis, quae quasi fundamenta narrationis substruxit, coniungere solet.

Sed quae Vergilio debet, accuratum et subtile Aeneidis argumentum esse per se non exspectaveris: immo contra carminis illius libros ita ad usum suum accommodavit, ut modo res obscure significaret, modo fabulas aut verbis a Vergilio receptis aut luminibus ex suo ingenio vel aliunde sumptis illustraret, modo quae minus commoda ei viderentur, plane omitteret. At quod tenendum est, in universum saltem rerum ordinem servavit neque in gravioribus ab auctore discessit praeterquam, quod temporis ordinem restituit, quem Vergilius, cum Aeneam res ab illo gestas narrantem faceret, arte consilioque turbaverat.

In paucis his capitibus demonstrare mihi proposui, Ovidium, cum Metamorphoseis componeret, compendium adhibuisse mythologicum Apollodori bibliothecae simillimum. Neque aliter poetam in reliquis libris atque in XIII et XIV rem instituisse mihi persuasi, scilicet ex historia fabulari continentes partes cum accepisse, quas aedificiis suis substrueret.

Apparet maximi esse momenti, ut compositioni Metamorphoseon animum attendamus quam diligentissime. Aulaei Ovidiani primum discernamus necesse est telas, h. e. compendii mythologici fabulas, tum quaerendum, quae licia telis addiderit quaeque ornamenta de suo intexuerit. Nam demptis iis, quae aliunde deprompta sunt, cognosci demum potest, num eo modo fabulae, quae restant, cohaereant, ut ad compendium referendae sint. Atque Vollgraffium,[14]) qui nuper eandem quaestionem de fabulari libro ab Ovidio adhibito adiit, hanc praecipue propter rem parum profecisse existimo, quod nimis in singulas fabulas inquisivit, contextum autem fabularum quibusque vinculis inter se cohaereant parum respexit.

---

[14]) De Ovidi mythopoeia; Diss. Berol. 1901.

CAPUT II.

De Ovidii fabulis Thebaicis.

Quae de Europa Cadmo eiusque prosapia Ovidius versibus mandavit II 833—IV 603, nemo non videt cum materiae tum compositionis similitudines habere cum Apollodori bibliothecae rebus Thebanis nec paucas nec leves; quapropter cum qui de compendio mythologico ab Ovidio in Metamorphosibus conscribendis adhibito quaerere sibi proposuerit, hac a carminis parte disserendi initium facturum esse consentaneum est.

Examinantes primum, quomodo Ovidius Thebanas fabulas induxerit, iam e transitu artificioso [1]) cognoscimus, cum novam narrationum seriem annexuisse. Postquam enim II 708—832 Mercurii in Hersam amorem et Aglauri sororis invidiam tractavit, callide pergit v. 833, Mercurium Aglauro punita Athenas reliquisse et „iactatis pennis“ caelum introisse, ubi Juppiter eum iusserit Agenoris armenta ad litus pellere; ibi enim

„magni filia regis
ludere virginibus Tyriis comitata solebat“ (844 s.).

Quo negotio perfecto Jovem sub facie tauri gregi se immiscuisse, ut Europam deciperet.

Tum vero procedit narratio uno tenore usque ad III 315. Legimus Europam raptam in Cretam transportatam esse (II 846—875), Cadmum bovem secutum Thebas condidisse (III 1—137), Actaeonem Cadmi nepotem a canibus suis devoratum esse (III 138—252), ex Semela Cadmi filia Jovem Bacchum procreasse (III 253—315).

Interrumpitur rerum tenor III 316, ubi a Semela parvoque Baccho repente et ex inopinato ad rixam illam Jovis cum Junone Tiresiaeque sortem poeta transit (III 316—338). Sub-

---

[1]) Similiter Ovidius V 250 Minervam induxit, quae cum Perseum reliquit, ad Musas in Heliconem volat, deinde in Lydiam ad Arachnem se confert (VI, 1 ss.); qua ratione eorum fabulas inter se alienas callide coniunxit. Eiusdem rei exempla plura invenis apud Ribbeck., röm. Dichtung II, p. 329.

sequitur Narcissi et Echus fabula summa insignis colorum venustate (III 339—510), quam Ovidius hoc modo cum illa fabula coniunxit, ut Tiresiam Liriopae praedixisse fingeret Narcissi filii exitum.

V. 511 autem Ovidius ad res Thebanas reversus Penthei atrocissimam sortem tractat (III 511—733). Quam ad fabulam ut aptum sibi a Narcisso transitum faceret, iterum Tiresiam induxit et tunc quidem Pentheo nequiquam vaticinantem; quae vero ille contempsit vatis „praesaga verba" eventu comprobantur.

Jam apparet, quare Ovidius III 316 tam repente ad Tiresiae fabulam transierit. Euripidis enim Baccharum memor, ubi Tiresias Pentheum admonens in scaenam prodit (v. 266 ss.), illum induxit (v. Haupt ad met. III 511), et ita ansam sibi paravit, ut non modo Tiresiae, sed etiam Narcissi fabulam afferret.

Has igitur fabulas suo arbitrio Ovidium inseruisse manifestum est narrationibus, quae de Cadmo eiusque stirpe agunt.

Penthei fabula, quacum de Tyrrhenis narrationem arte copulavit (III 582—691), ad finem perducta sequitur de Minyadibus narratio (IV 1—415), quae sicut Pentheus et Tyrrheni Bacchi contemptrices meritas poenas luerunt. Aliunde autem fabulam petitam esse propterea suspicor, quod cum omnes consentiant Minyades Orchomeniorum regis filias fuisse et Orchomeni habitasse, Ovidius rem Thebas transtulit (v. v. 31), sine dubio, ut fabulam apte cum praecedentibus coniungeret. Quibus autem invicem inter lanificium Minyades se delectant narrationibus, illae omnes neque ad Pentheum neque ad Minyades pertinent, sed artificio trito usitatoque [2]) ab Ovidio intextae sunt. Sunt autem amores illi Pyrami et Thisbae (IV 55—166), Martis et Veneris (169—189), Apollinis, Leucotheae, Clytiae (190—270), Salmacidis et Hermaphroditi (285—388).

Redit narratio v. 416 ad res Thebanas. V. 416—562 legimus Inonem Bacchi nutricem et Athamantem ab Junone insanos redditos liberos suos misere interfecisse, Cadmum autem et Harmoniam, cum tot tantisque malis fracti Thebis emigrassent, in

[2]) De artificiis quibus Ovidius personas fabulas narrantes induxit, multa congessit Ribbeck, l. l. p. 293 ss.

Illyria in angues mutatos esse (IV 563—603). Adiecit Ovidius, ut ad Perseum transiret, Bacchum denique ab Indis atque Graecis adoratum et in deorum numerum receptum esse, solum Acrisium negasse illum esse Jovis filium, nec Perseum nepotem cum Jovis filium habuisse (604—611).

Eadem igitur coniungendarum fabularum ratio hac in parte invenitur atque in l. XIII et XIV, cum sicut Aeneae rebus Anii filiarum Galateae Scyllae reliquae eiusmodi fabulae insertae sunt, ita de Cadmi stirpe narrationum series interrumpatur Narcissi et Echus, Pyrami et Thisbae, Hermaphroditi et Salmacidis vel aliis fabulis a Thebaicis alienis.

Quodsi removeas narrationes aliunde petitas, apparet eas quae restant fabulas de Europa Cadmo Actaeone Semela Pentheo Inone Athamante de Cadmi et Harmoniae exitu, omnes genealogia inter se coniunctas ac quasi uno filo deductas esse. Quae cum ita sint, Ovidium fonte quodam usum esse necesse est, qui eodem modo Cadmi eiusque gentis sortes ab Europae raptu usque ad Cadmi et Harmoniae exitum uno tenore tractaverat. Atque revera haud sine fructu in comparationem vocantur, quae de iisdem rebus Apollodorus (bibl. III 2—4, 21—39) tradit. Praeterea autem occasione data, quos ex eodem compendio hausisse post Ericum Bethe [3]) satis constat, Hyginus (fab. 178—181, 184, 5, 6) et Diodorus (III 64, § 2 ss.; IV, 2) audiendi sunt.

Sed ut ordinem fabularum ab Ovidio et Apollodoro traditum facilius perspicias, tabellam adscribam:

Met. II 833—IV 603.		bibl. III 2—4; 21—39.	
II			
833—875.	Europa a Jove rapta.	2—4.	Europa a Jove rapta.
III			
1—137.	Cadmus bovem secutus Martis dracone occiso Thebas condidit, Harmoniam uxorem duxit.	21—26.	Cadmus bovem secutus Martis dracone occiso Thebas condidit, Harmoniam uxorem duxit.
138—252.	Actaeon.		
253—315.	Semele. (Tiresias III 316—338; Narcissus et Echo 339—510)	26 s.	Semele.

[3]) Quaestt. Diodor. myth.; Diss. Gott. 1887, p. 58 ss.

		28 s.	Ino et Athamas.
		30—32.	Actaeon.
		33.	Bacchi itinera.
		34 s.	Lycurgus.
511—733.	Pentheus.	36 s.	Pentheus.
582—691.	Tyrrheni nautae. (Minyades etc. IV 1—415)	37 s.	Tyrrheni nautae.
IV			
416—562.	Ino et Athamas.		
563—603.	Cadmus et Harmonia in Illyria in angues mutati.	39.	Cadmus et Harmonia in Illyria in angues mutati.

Vides rerum dispositionem esse eandem: nam et Ovidius et mythographus ab Europa exorsi Cadmi eiusque progeniei fabulas ita composuerunt, ut primum narraretur, quomodo Cadmus bovem secutus Thebas condidisset et Harmoniam uxorem duxisset, continuarentur deinde sortes miserae filiarum nepotumque et novi dei, qui ex Cadmi domo provenit, facinora, finem denique faceret Cadmi et Harmoniae exitus.

Discrepantiarum, quae exstant, causae in aperto fere sunt. Quod enim Ovidius contra bibliothecam, temporum iusto ordine neglecto, Actaeonis nepotis sortem antea tractavit quam Semelae filiae, monendum est poetam saepius studere, rebus contrariis lectorum animos commovere.[4]) Quo consilio Cadmo Thebarum urbis conditori, felicissimo marito Harmoniae, genero Martis et

[4]) Haud raro Ovidius fabulas ita copulat, ut aut similes similibus, aut contrarias contrariis coniungat. Inveniuntur e. g. similes fabulae inter se connexae: II 676 ss. Batti et Aglauri, a Mercurio poenae causa in lapides conversorum; VI 1 ss. Arachnae, Niobae, Lyciorum agrestium, Marsyae insolentium in deos punitorum; VIII 577 ss. Echinadum, Perimelae, Philemonis et Baucidis mutatorum fabulae, quae potentiam deorum illustrent (cf. 618 s.), deinde Protei, Erysichthonis filiae, Acheloi, quibus convertendi sui in varias figuras facultas data erat; XI 410 ss. Ceycis Halcyonaeque et Aesaci, qui orbati iis, quos amaverant, in aves marinas mutati sunt; XII 72 ss. Cygnus et Caeneus invulnerabiles et in aves mutati inter se coniunguntur. Contrariae fabulae connexae sunt IX 447 ss. Byblidis infeliciter, Iphidis feliciter amantium; X 155 ss. Ganymedis et Hyacinthi dilectorum superis laudemque patriae afferentium, Cerastarum et Propoetidum patriam contumelia afficientium; V 318 ss. Pierides contumeliam (Typhoeus), Musae honorem deorum (Ceres) canunt; similiter VI 70 ss. Minerva et Arachne de textrino certantes exempla eligunt altera, quae gloriam, altera, quae ignominiam deorum demonstrent.

Veneris, opposuit Actaeonem nepotem, quo nemo ex Cadmi gente miserius interiit. Quod revera indicant versus, quibus Cadmi et Actaeonis fabulae coniunguntur (III 131—140):

„Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
causa fuit luctus.“ (138 s.)

Gravius videtur alterum illud discrimen, quod Inus et Athamantis parvi altorum Bacchi fabula non, ut exspectamus, eam de Semela et Bacchi ortu subsequitur, sed post Penthei mortem affertur. At opinatum tantum esse discrimen suspicaberis versibus IV 416—431, quibus narratio inchoatur, attente perlectis. Quid? alumno iam adulto iamque rerum gestarum gloria florente Junonem demum in Bacchi educatores ira exarsisse Ovidius nobis persuadere studet! En poetae fraudes, qui, cum fabulam ex loco, quo legi solet, movisset, exordium ad mutatam fabulae sedem accommodavit. Ceterum Ovidium eam eodem loco, quo in bibliotheca invenitur, legisse versus clamant, qui Semelae fabulam subsequuntur (III 310 ss.):

„inperfectus adhuc infans genetricis ab alvo
eripitur patrioque tener (si credere dignum est)
insuitur femori maternaque tempora conplet.
furtim illum primis Ino matertera cunis
educat, inde datum Nymphae Nyseïdes antris
occuluere suis lactisque alimenta dedere.“

Quibuscum mire congruunt, quae Apollodorus eodem loco exhibet (27 ss.):

„Σεμέλης δὲ διὰ τὸν φόβον ἐκλιπούσης, ἑξαμηνιαῖον τὸ βρέφος ἐξαμβλωθὲν ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας ἐνέρραψε τῷ μηρῷ . . . § 28: κατὰ δὲ τὸν χρόνον τὸν καθήκοντα Διόνυσον γεννᾷ Ζεὺς λύσας τὰ ῥάμματα, καὶ δίδωσιν Ἑρμῇ. ὁ δὲ κομίζει πρὸς Ἰνὼ καὶ Ἀθάμαντα καὶ πείθει τρέφειν ὡς κόρην.“ sequitur Inus et Athamantis fabula. § 29: . . . „καὶ λαβὼν αὐτὸν (scil. Διόνυσον) Ἑρμῆς πρὸς νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νύσῃ κατοικούσας τῆς Ἀσίας, ἃς ὕστερον Ζεὺς καταστερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας.“ [5])

[5]) M. Schmidt in editione Hygini fabularum seclusit verba f. 2 (Ino): „Athamas postea — ἴσθμια.“ At ex compendio fluxisse haec verba Apollodorus testis est, qui I 84, cum Phrixi et Helles fabulam tractasset, similiter annotavit ea quae postea Inoni et Athamanti acciderunt.

Sed haec iam mittamus. Postquam enim demonstravimus et Ovidii et Apollodori rerum dispositionem esse eandem, e re erit, priusquam ad singula accedimus, totum fabularum contextum perlustrare simulque statuere, quasnam res Ovidius omiserit quasnam retinuerit.

Praemittam eandem prorsus genealogiam apud utrumque inveniri, nisi quod Apollodorus plura nomina praebet. Ut autem res perspiciatur, Agenoris progeniei stemma adscribam quale in bibliotheca exstat, lineis notans ea nomina, quae etiam apud Ovidium leguntur:

Agenor[6]) cum Telephassa, met. III 8.	Cadmus cum Harmonia, Martis et Veneris filia, met. III 132.	Autonoë cum Aristaeo. met. III 720, 198.	Acteon.
		Ino cum Athamante, Aeoli filio, met. III 313, IV 420, 512.	Learchus. Melicertes.
		Semele cum Jove	Bacchus.
		Agaue cum Echione, uno ex terrigenis, met. III 513.	Pentheus.
		Polydorus.	
	Phoenix.		
	Cilix.		
	Europa met. II 858.		

Sed ad ipsas fabulas accedamus. Apollodorus cum initio l. III narrasset fratres Europam quaesituros ab Agenore emissos esse, multus est, antequam ad Cadmi fabulam transit, in Europae progenie explicanda (III 5—20). Poeta autem de Europa a Jove rapta eandem quidem fabulam profert poeticis tamen coloribus exornatam; neglectis autem aridis mythographi indicibus brevissime narrationem finit (II 872—875, III 1 s.). Uberiores rursus colores inducit, ubi iisdem atque Apollodorus lineis describit Cadmum de sorore Apollinem Delphicum consuluisse, bovem secutum esse, in Boeotia draconem Martis occidisse, dentes eius Palladis consilio sparsisse, armatis exinde natis civili bello praeter paucos absumptis Thebas urbem condidisse (III 1—130). Atque iam eadem, ac supra, offenderis dicendi brevitate 131 ss.:

[6]) patrem Europae Phoenicem fuisse a quibusdam tradi dicit Apd. III 2.

„iam stabant Thebae, poteras iam, Cadme, videri
exilio felix. soceri tibi Marsque Venusque
contigerant; huc adde genus de coniuge tanta,
tot natos natasque et pignora cara nepotes,
hos quoque iam iuvenes.“

His respondent, quae accuratius Apollodorus tractat III 25 s. Quamquam autem Ovidius nec servitii anni Cadmo a Marte impositi nec Cadmi et Harmoniae nuptiarum deorumque convivorum mentionem facit, quippe quae nihil ad metamorphoseis pertineant, tamen ei locus ille praesto fuisse videtur, ubi mythographus, antequam ad uniuscuiusque facinora transit, Cadmi et Harmoniae liberos enumerat additque, quibus viris filiae nupserint.

In Actaeonis Semelaeque fabulis quae sequuntur nihil pugnat cum bibliotheca; neque omisit Ovidius neque addidit nisi quae ad ornamenta narrationis pertinent. Ac supra iam ostendi, ex Semelae fabulae extremis versibus colligi posse fabularum ordinem a bibliotheca traditum Ovidio cognitum fuisse.

De Pentheo Tyrrhenisque paullo fusius disserere necesse est (met. III 511—733; bibl. III 36—38). Acoetam Lydum fabulam de piratis in delphinos mutatis Pentheo narrantem induxit Ovidius Euripidem secutus, apud quem Dionysus se quendam Lydum esse mentitur (Bacch. 461 ss. V. Haupt ad met. III 575); ipsam autem ut fabulam afferret sine dubio compendio motus est. Ut enim hoc praetermittam apud Ovidium ut apud Apollodorum Bacchum se Naxum deferri voluisse (met. III 636; bibl. III 37), de quo apud Euripidem nihil, huic rei vim tribuam, quod in bibliotheca piratarum subiuncta est Penthei fabulae.[7])

Miraris fortasse mediis in Cadmi gentis rebus Ovidium narrationem de piratis attulisse, quae nullo modo ad Thebanas fabulas pertineat. At in compendio fabulam non seorsim ex-

[7]) Similiter Penthei et Tyrrhenorum fabulae coniunguntur a Nonno Dionys. 45, 102 ss. Apud eum enim Tiresias Pentheo, qui illum et Cadmum Libero sacra facientes increpavit, exempli causa fabulam de piratis a Baccho mutatis narrat. Nonnum item compendium aliquod adhibuisse, ex quo tenorem tabularum Thebanarum hausisset, G. Vollgraff statuit in dissertatione sua p. 70.

stitisse, sed cum similibus coniunctam fuisse bibliotheca docet, in qua rerum contextus hic est: § 33 breviter describuntur Bacchi itinera in Aegypto Syria Phrygia facta. Deinde legitur Bacchum per Thraciam profectum, ubi Lycurgum primum in se impium (34: *Λυκοῦργος δὲ . . . πρῶτος ὑβρίσας ἐξέβαλεν αὐτόν*) puniverit (34 s.), Thebas venisse ibique Pentheum contemptorem castigasse (36). Inde Argos iter convertisse, ubi feminas, cum sibi cultus non tributus sit, vesanas reddiderit. Tum autem a piratis impietatis poenam sumpsisse (37). Quibus igitur factis, cum homines intellexerint revera illum esse deum, cum matre ex inferis arcessita deorum denique domicilia intrasse (38).

Tractavit igitur compendii auctor *ὑβρίσαντας*, ut dicit Apollodorus § 34, erga Bacchum, quem tamen ad extremum omnes agnovissent. Hunc rerum contextum Ovidius obscuravit, cum de Bacchi erroribus et de Lycurgo taceret; selegit memor propositi Pentheum tantum et Tyrrhenos, quibus aggregavit ex fonte diverso depromptas Minyades, quae lanificio intempestivo deum laeserunt. Praeterea autem reperiri posse vestigia, quibus appareat Ovidio eandem rerum seriem cognitam fuisse, valde confido.

Penthei enim fabula Ovidiana terminatur versibus his (III 732 s.):

„talibus exemplis monitae nova sacra frequentant
turaque dant sanctasque colunt Ismenides aras."

Offensionem praebent haec verba, si memor es eorum, quae in initio narrationis leguntur: etenim totae Thebae, viri et mulieres, iuvenes et senes, proceres et vulgus Liberum advenientem sectati erant (528 ss.). At sine dubio Ovidius, ut convicia Penthei cumularet et exornaret, ipse haec excogitavit. Nam consentiunt Euripides (Bacch. 32 ss.) et Apollodorus (III 36) Bacchum Thebanorum mulieres c o ë g i s s e bacchari in Cithaerone, atque diserte dicit ipse Dionysus in tragoediae prologo, hoc ea de re factum esse, quod materterae ementitae essent, eum non Jovis, sed mortalis cuiusdam filium esse (Bacch. 26 ss.; cf. Apd. III 27), additque Thebas urbem haud impune abituram, quod se ei non addixerat (39 s.).

Quid igitur? nonne hac ex re plenam lucem accipiunt Ovidiani illi versus, quos supra adscripsi? Sed ut melius perspicias, cur Ovidius eos addiderit, lege haec Apollodori verba Penthei fabulae subiuncta (III 37): *δείξας δὲ Θηβαίοις ὅτι θεός ἐστιν* . . .

Lycurgus autem scelestus praeter Pentheum et piratas in loco illo Minyadum fabulae praemisso commemoratur, ubi Bacchi nomina enumerantur factaque celebrantur (met. IV 22).

Quae denique Argis facta essent Ovidius tantum perstringens Penthei obiurgationibus inclusit (III 559 s.). Atque idem est exitus apud Ovidium atque apud Apollodorum, cum commemoret poeta Bacchum, postquam ubique adoratus sit (IV 605 s.), caelum tandem introisse (IV 614). Sed haec post Cadmi transformationem demum Ovidius affert, ut transitum ad alterum Jovis filium, Perseum scilicet, aptum sibi comparet (cf. p. 17). Restant Inus et Athamantis (met. IV 416—562) atque Cadmi et Harmoniae in angues transformatorum (IV 563—603) fabulae. In illa narranda Ovidius, ut cum Vergilio certaret, Orci Tisiphonaeque descriptionem addidit (IV 432—511), addidit etiam Inus comitum mutationem (IV 543—562). Ultimam autem Cadmi sortem proferens Ovidius omissa obscura illa herois cum Enchelcibus contra Illyrios factam expeditionem (Apd. III 39) artem suam in ipsam mutationem depingendam contulit.

Si igitur recte disputavimus, contextum fabularum, quae de Europa Cadmo eiusque gente sunt, Ovidius compendio debet, cuius rerum ordinem ad libidinem aut servavit aut mutavit, neque anxie curavit, ut narrationis tenor ubique sibi constaret. Restat ut examinemus, num praeterea poetarum carmina asciverit, ac si quae adhibuerit, quomodo ea ad usum suum conformaverit.

De P e n t h e i fabula Ovidiana (III 511—733) G. Knaack exposuit poetam duas narrationes, Euripidis scilicet tragoediam et Theocrito quod falso addicitur epyllium XXVI artificiose contaminasse (Anal. Alex.-Rom. Greifsw. 1880, p. 58 ss.). Ut autem post Knaackium ad Penthei fabulam adirem, movit me quaestio gravissimi momenti futura ei, qui de Ovidio compendii mythologici imitatore disputat. Apparet enim Ovidium fabulas narrare notissimas neque paucas, quae iam a tragicis poetis

tractatae erant, ut Penthei, Herculis Oetaei (IX 134 ss.), Hecubae (XIII 429 ss.), Persei et Andromedae (IV 663 ss.), Meleagri (VIII 270 ss.), Pronae et Philomelae (VI 422 ss.) fabulas. Cum enim illae et in universum cum tragoediis consentirent, et praeterea hic et illic verborum consensus pateret, statuerunt viri docti Ovidium, cum metamorphoseis componeret, „Graecos tragicos et eos clarissimos aut inspexisse aut ex memoria adhibuisse“ (Gust. Plaehn, de Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio . . . adhibitis. Hal. 1882, p. 14.).

At quaerendum est, utrum Ovidius ipsas tragoedias legerit an potius epitomis usus sit. Constat enim compendii auctorem „e variis cuiusvis fabulae formis eam elegisse quam inter aequales notissimam esse scivit.“ (Bethe, l. l. p. 95). Quare apud Apollodorum Hyginum aliosque mythographos eaedem fere fabulae de Hecuba, Hercule Oetaeo, Medea, Tereo, Meleagro, Perseo et Andromeda etc. inveniuntur, quas vel ex Sophoclis et Euripidis tragoediis servatis cognitas habemus vel ex deperditarum fragmentis restituere possumus. Nec de Pentheo apud Apollodorum aliud legitur (III 36), quam quod Euripides in Bacchis tractavit.

Qui igitur de tragoediis ab Ovidio adhibitis quaestionem sibi instituendam proposuerit, contentus non sit ostendere utrobique res esse easdem, sed afferat certorum verborum consensum. Neque tum exploratum erit Ovidii fontem solam fuisse tragoediam; nonne enim potius poeta de tragoediarum argumentis compendium illud consuluit, unde etiam fabularum contextum accepit, ipsam autem tragoediam ad singula excolenda ascivit? Quod quidem in Pentheo Ovidium fecisse valde arbitror.

Similiter enim uterque poeta Pentheum inducit iram in Bacchum et qui eum prosecuti sunt effundentem (Bacch. 215 ss.; met. III 531 ss.): Bacchum falso se Jovis esse filium iactare (Bacch. 243 ss.; met. 558), quin etiam praestigiatorem ac magum eum esse (Bacch. 233 ss.; met. 534 „magicae fraudes“), qui cum suis indulgeat obscenis libidinibus (Bacch. 222 ss.; met. 537 „obsceni greges“). Cum autem apud Euripidem summa Penthei orationis his in obiurgationibus posita sit, Ovidius Pentheum id maxime vituperare facit, indignissimum esse quod omnes

Thebani senes atque iuvenes bacchentur, ita ut Thebae a puero aliquo effeminato sine vulnere atque acie captae videantur. Suus igitur Ovidius est in iis quae Pentheo tribuit, nec non excogitavit ipse totas Thebas Baccho sacra comparasse (cf. p. 23). Prorsus autem perspicitur Ovidii componendi ratio hac ex re. Secundum enim Nasonem Acoetes vel Dionysus,[8]) cum a Pentheo altercatione finita in vincula coniectus esset, ipse se liberavit (699 s.):

„sponte sua patuisse fores lapsasque lacertis
sponte sua fama est nullo solvente catenas.“

Id quod Euripides non de Baccho, sed de eius comitibus in vincula datis narrat (Bacch. 447 ss.):

„αὐτόματα δ' αὐταῖς δεσμὰ διελύθη ποδῶν,
κλῇδές τ' ἀνῆκαν θύρετρ' ἄνευ θνητῆς χερός.“

Nasonem igitur manifestum est duos locos confudisse. Unde autem confusionis causa repetenda est nisi ex eo, quod Ovidius ipsam tragoediam non inspexit, sed memoriter mythographi verba coloribus Euripideis exornavit?[9])

De Tyrrhenorum fabula Ovidiana O. Crusius (Der homerische Dionysoshymnus. Philol. vol. 48 [1889], p. 220 ss.) iudicavit Ovidium imitatum esse carmen aliquod Alexandrinum, cuius argumentum Hyginus (f. 134) nobis servaverit.

Sed non unum exemplum Ovidium secutum esse, immo vero hac etiam in narratione varias eum fabulas contaminasse valde suspicor. Accurate enim perlectis versibus met. III 597—691 haud ubique narrationem perspicuam esse animadvertes.

Puerum inveniunt „deserto in agro“ piratae pulchrum cultuque insignem atque ut praedam „mero somnoque gravem“ eum

[8]) Nam Acoetam ipsum deum esse significatur v. 658 s.. V. Haupt ad v. 658.

[9]) Ovidium Pacuvii Pentheum secutum esse putavit O. Ribbeck, röm. Trag. p. 280, scholio Aen. IV 469 nisus. Scholiastam autem non ipsum Pacuvianae tragoediae argumentum referre voluisse, sed Penthei historiam nescio quo ex libro fabulari petitam ad ipsum scholium adnexuisse, verba eius ostendunt (v. formulam in scholiis ad Aen. saepissime repertam: „de quo (scil. Pentheo) fabula talis est“). Ac revera fabulam illam ex Ovidio fluxisse demonstratur hac praecipue re, quod scholiasta eam de qua dixi Ovidii confusionem ipsis fere exempli verbis usus repetit.

in navem abducunt. Sed iam leviter significatur praedae spem falsuram esse piratas (v. 606 „utque putat"). Atque adulescentem in quo vim divinam aliquam inesse gubernator sentit, ebrietatem somnumque simulare propter „videtur" illud v. 608 suspicamur, perspicimus denique ad v. 630 progressi, quo primo Bacchi nomen enuntiatur („veluti clamore solutus sit sopor"). Nonne raptus poenam consecuturam expectas? Falleris; nam quasi somno excitatus Liber a piratis Naxum ut se portent petit. Sed contra fidem iusiurandumque atque flentis preces raptores in aliam regionem vela dant. Tum denique deus potestatem suam ostendens impios punit.

Bis igitur Tyrrheni in Liberum peccant, primum cum eum in litore rapiunt, iterum cum contra dictum Naxum praetervehuntur. Fabularum diversitatem huic rei subesse et facile ipsi conicimus et narrationes nobis servatae testes sunt.

Dissentiunt enim auctores, cum alii narrent Tyrrhenos, cum Bacchus ut Naxum transportaretur navem eorum conscendisset, eam in aliam regionem direxisse (Apd. bibl. III 37 s.; Hyg. f. 134; Aglaosth. ap. Hyg. poet. astron. II, 17), alii piratas Bacchum in litore rapuisse, cum regis alicuius filium eum habuerint (Hymn. Hom. VI, Διόνυσος ἢ Λῃσταί; Nonn. Dionys. 45, 102 ss.; cf. Senec. Oed. 449 ss.). Ovidius igitur secundum hanc fabulae formam piratas Liberum in litore invenisse et in navem abduxisse narrat. Ut autem inserat quae alterius fabulae summa est, scilicet piratas Naxum contra Liberi iussum transvectos esse, omittit Ovidius deum sponte sua navem conscendisse, sed callide invenit eum somno quasi ac vino gravem a Tyrrhenis in navem ductum esse, expergefactum autem postulasse, ut se Naxum deferrent.

Jam vide, quo arto vinculo cohaereat Ovidii cum Homerici hymni narratione. Congruentes Ovidius et hymnus referunt navis gubernatorem nequiquam sceleri intercessisse, quae res sane multum confert ad lectoris exspectationem augendam. Similiter igitur hic et illic sensit gubernator adulescentis divinitatem (cf. Hymn. Hom. VI 17 s., 20 s.; Ov. met. III 609 ss.). Sed Ovidius, quippe qui Liberum dormire finxisset, nimirum praetermisit piratas eum catenis vincire conatos esse. Statim autem,

cum puer affertur, Acoetam intercedere facit (609 ss., 621 s., 623 „inque aditu obsisto"), cum in hymno gubernator tum demum ut adulescens liberetur postulet, postquam vidit nulla vincula eum tenere. Perite praeterea apud Ovidium et gubernatoris reclamationes et nautarum protervitas aucta est. Nam non modo semel, ut in hymno, sed ter Acoetes sceleri obloquitur, atque cum contra fidem Naxum praetervehi eum socii iussissent, a gubernaculo recedit. In fine deinde utriusque narrationis legimus Bacchum gubernatori soli pepercisse ac favisse (hymn. VI 53 ss.; met. III 688 ss.).

Quae cum ita sint, O. Crusii sententiam de Ovidii fonte accipere dubito. Nonne fortasse Ovidius, ut compendii fabulam exornaret, ipsum hymnum Homericum sibi ascivit? Tamen ne hic quidem Ovidius servilem se praebet imitatorem, sed aut omnino suus est, ut in excogitanda piratarum mutatione (670—686),[10]) aut singula, quae deprompserat, ad libidinem auxit verbis apteve mutavit.

Qui novissime de Cadmi Thebarumque conditarum fabula Ovidiana egit G. Vollgraff (l. l. p. 63 ss.), Spironis sententiam, qui iudicavit[11]) Ovidii auctorem cum alios scriptores tum canticum illud Phoenissarum (Eur. Phoen. v. 638 ss.), quod novam fabulae formam acceptamque a posteris praeberet, ad usum suum adhibuisse, argumentis rationibusque refutavit. Ipse enim G. Vollgraff, cum similitudines Ovidium inter et Nonnum (Dion. IV 289 ss.) intercederent, non dubium esse statuit, „quin Ovidio et Nonno subsit fons communis, epyllion videlicet Alexandrinum" (p. 68). Cum autem totum tenorem Thebanarum fabularum Ovidium ex enchiridio mythographo Apollodori bibliothecae simili hausisse manifestum sit, existimat Nasonem, neque aliter Nonnum, „utilissima mythographorum enchiridia . . . vix umquam seposuisse ac ne magno quidem poeta auxilio arcessito plane neglexisse" (p. 70). Equidem, quae his addam, pauca tantum habeo. Nam similitudines illae inter Nonnum et Ovidium magis ad ornatum narrationis quam ad ipsam fabulam

[10]) Sicut Tyrrheni, ita IV 590 Cadmus et Harmonia atque XIV 504 ss. Diomedis socii sodalium mutatam speciem mirantur.

[11]) De Euripidis Phoenissis; diss. Berol. 1884, p. 8 ss.

pertinent. Adiciam exemplis a G. Vollgraff allatis (p. 66 s.) hoc, quod draco Martis apud utrumque poetam tribus modis armisque se defendit, scilicet morsu, veneni aspersione, amplexu (Ov. III 48 s.; Nonn. IV 360 ss.; 377 ss.).

Sed caveamus, ne auctori illi Alexandrino nimium tribuamus. Quod enim uterque poeta narrat, Cadmum prope Delphos in bovem itineris ducem incidisse, pugnare videtur contra sententiam illam notiorem et fortasse antiquiorem, scilicet Cadmum bovem ab Apolline accurate descriptam (Hyg. f. 178; schol. Eur. Phoen. 638, Schw., vol. 1, p. 313; Paus. IX 12, 1) in Pelagontis armentis quaesivisse et repperisse (Apd. III 22; schol. Eur. Phoen. l. l. = Pausan. IX 12, 1). Quod autem Ovidius et Nonnus narrant, item apud mythographos invenitur (cf. schol. Aesch., Sept. 473 Weckl.; schol. Apoll. Rh. III, 1178; fabulam Aristophanis hypothesi ad Eurip. Phoeniss. adnexam), neque deest indicium Euripidis auctorem eandem tabulam tractasse; nam Phoen. v. 638 ss.: „*Κάδμος .... ᾧ τετρασκελὴς μόσχος ἀδάματον πέσημα δίκε τελεσφόρον διδοῦσα χρησμόν, ...*“ Quibuscum conferas met. III 15 s.: „incustoditam ... iuvencam, nullum servitii signum cervice gerentem.“

Huius cum fabulae forma coniuncta fuisse videtur descriptio itineris, quam Nonnum quidem inepte amplificasse, Ovidium autem misere decurtasse ostendit G. Vollgraff (l. l. p. 64 s.). Testis mihi videtur schol. Apoll. Rh. Arg. III 1178 a G. Vollgraffio allatum: „*ἐν δὲ τῷ γ' τῆς Μουσαίου Τιτανογραφίας λέγεται ὡς Κάδμος ἐκ τοῦ Δελφικοῦ ἐπορεύετο προκαθηγουμένης αὐτῷ τῆς βοός.*“ Cum autem hoc scholion ex Lysimachi *συναγωγῇ τῶν Θηβαικῶν παραδόξων* fluxerit, quem compendii mythologici auctorem compilasse demonstravit G. Radtke [12]), haud dubito, quin res etiam in Ovidii fonte mythographo exstiterit. [13])

[12]) de Lysimacho Alexandrino; diss. Argent. 1893; p. 9, p. 102 ss.

[13]) Quae Nonnus Dion. IV 441 ss. narrat: Cadmum cum acies Terrigenarum surrexerit, primum multos eorum interfecisse, deinde lapidem inter eos coniecisse, quare ira inflammati alius alium trucidaverint, ad fabulam non pertinere, sed ab Iasone (cf. Apd. bibl. I, 130) in Cadmum translata esse videntur. — Bibliothecae verba (III 24): „*Κάδμος δὲ ἀνθ' ὧν ἔκτεινεν ἀίδιον ἐθήτευσεν Ἄρει*“ non ad Spartarum, sed ad draconti s Martis filii caedem referenda esse colligendum est ex schol. Il. II 494, ubi Cadmus „*ἀντὶ*

Artificia autem inventionesque, quas Ovidium ad exornandas fabulas promptas atque in expedito habuisse sumendum est, praeclare discimus ex narrationibus de Europa, Semela, Actaeone, Cadmo et Harmonia.

Ovidii de Europa fabulam (II 833—875) si quis perlegerit, narrationis colores haud aequabiliter dispositos esse eum non effugiet. Uberrime enim depinxit poeta tauri speciem moresque, reliqua breviter narravit. Neque neglegas Europam regiam virginem haud quo debebat apparatu cum lectoribus ostendisse, sed repente induxisse v. 858 taurum admirantem. Quod eo notabilius est, quod in simillima de Persephona rapta fabula et regionis amoenitatem et ipsam deam cum aequalibus flores legentem belle depinxit.

Hanc rem ut melius perspicias intuere, quomodo poetae fabulam illustrare soliti sint; etenim has potissimum res exornant: Europam scilicet et comites in litore ambulantes et flores carpentes (Mosch. id. I 28 ss., 64 ss.), tauri speciem morumque dulcedinem et suavitatem (Mosch. l. l. 79 ss.; Nonn. Dionys. I 46 ss.), Europam in tauri tergo sedentem (Mosch. l. l. 125 ss.), Nereides et Tritones vectionis spectatores (Mosch. l. l. 113 ss.; Nonn. l. l. 60 ss.), Europae raptae questus (Mosch. l. l. 135 ss.; Nonn. l. l. 126 ss.).

Ergo, cum Ovidius unam tantum rem simillimo modo atque Alexandrini tractaverit, reliqua autem strictim attigerit, cum non carmen aliquod imitando expressisse [14]) sed notissimam fabulam, qualis in compendio exsisteret, coloribus vel ex ipsius ingenio vel aliunde petitis exornasse concludendum est.

Actaeonem insontem [15]) morte multatum esse a Diana,

τῆς ἀναιρέσεως τοῦ δράκοντος“ Marti servit. Scholiastae autem *ἱστορίαν* ex eodem compendio fluxisse atque Apollodori narrationem statuit Panzer, de mythographo Homerico restituendo, diss. Gryphisw. 1892, p. 55.

[14]) Statuit etiam Vollgraff (l. l. p. 62) Ovidium Moschi epyllium imitatum non esse nisi uno loco. Imitatus vero est Fast. V 607 ss.

[15]) Mirum quantum Ovidius studuit Actaeonem omnis culpae absolvere et ad fortunam causam transferre; cf. 141 s., 175 s. Atque audis fortasse ex his Ovidium pugnantem contra antiquiores fabulae testes ab Apollodoro allatos, Acusilaum et alios, qui de culpa Actaeonis aliqua variantur. Quorum sententias commodissime Ovidius ex compendio cognoscere potuit.

quam lavantem invitus viderit, primus nobis testis est Callimachus (hymn. V 107 ss.). Callimachus autem narrat „ἀμάρτυρον οὐδέν.“ Convenit, quod cognitam fabulam multisque probatam fuisse docet Apd. III 30: „καὶ τοῦτον ἐτελεύτησε (scil. ὁ Ἀκταίων) τὸν τρόπον, ὡς μὲν Ἀκουσίλαος λέγει, μηνίσαντος τοῦ Διὸς ὅτι ἐμνηστεύσατο Σεμέλην, ὡς δὲ οἱ πλείονες, ὅτι τὴν Ἄρτεμιν λουομένην εἶδε.“

Quod igitur Ovidius narrat, etiam in compendio exstitit; atque summopere sapit mythographorum doctrinam canum catologus[16]), quem Ovidius praebet III 206 ss. In bibliotheca autem similem indicem exstitisse demonstratur cum versibus illis, qui III 32 servati sunt, tum hoc, quod III 31 annotatur, quinquaginta Actaeonis canes fuisse. Quae verba quid sibi volunt, nisi quinquaginta canum nomina revera enumerata fuerunt?

Maximam vero vim huic rei tribuam, quod Ovidius eadem fere narrat ac bibliotheca, nec simplices illius fabulae lineas non servavit neque addidit a mythographo aliena praeter talia qualia ad apparatum poeticum pertinent, velut vallis Gargaphiae et fontis eius amoenissimi descriptionem (III 155 ss.).

Quaerentes iam, num narrationis lumina poetae cuidam Naso debeat, licet rem absolvere non possimus, tamen haud ut spero sine fructu in comparationem vocabimus Nonni narrationem (Dion. V 287—551). Quae cum ab Ovidiana simplicitate et elegantia longissime remota sit, hac sane in re cum Ovidio congruit, Actaeonem mutatum loquendi quidem facultatem amisisse, mentem tamen humanam retinuisse[17]). Quod lepide variat Ovidius v. 201 ss.:

„‘me miserum!’ dicturus erat: vox nulla secuta est.
ingemuit: vox illa fuit, lacrimaeque per ora
non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.“

---

[16]) Hygini duorum catalogorum alterum ex Ovidio fluxisse et ordo nominum docet et tres canes seorsim in fine enumerati, qui primi in Actaeonem irruerint. Alter autem quinquaginta fere nomina exhibet diversa omnia ab Ovidio praeter duo. At Hyginus in talibus saepenumero ab Apollodoro eiusdem compendii epitomatore abhorret. Ita centum nomina Danai filiarum et generorum omnia exeptis viginti fere diversa praebet atque Apollodorus (cf. Hyg. f. 170; bibl. II 16 ss.).

[17]) Wentzel in Pauly-Wiss. lex. s. v. Aktaion; vol. I, col. 1210.

229 s., cum Actaeon a canibus suis agitaretur:

„clamare libebat:
‘Actaeon ego sum: dominum cognoscite vestrum!’“

Similiter Nonnus v. 322 s.:

„Ἀλλήεντι δὲ νεβρῷ
εἰσέτι μοῦνος ἔην νόος ἔμπεδος.“

Tamen etsi facultatem loquendi Actaeon amisit, inepte effundit longos questus (337—365; „κινυρῇ βρυχήσατο φωνῇ“).

Res quidem simillimae; tamen eum, qui de communi fonte cogitet, hoc moneam similem rem apud Ovidium saepius inveniri, ita ut ad supellectilem quasi poetae vel poetarum pertinuisse censendum sit, qui metamorphosibus narrandis operam navaverunt. De Callisto enim a Diana in ursam mutata legitur met. II 483 ss.:

„posse loqui eripitur, vox iracunda minaxque
plenaque terroris rauco de gutture fertur.
mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa.“

Atque ut intellegas Nasonem numquam taeduisse annotare mutatas personas, cum loqui conarentur, bestiarum ritu vocem misisse, ipse conferas cum met. III 237 ss. quae de Ione (I 655 ss.), Ocyrhoe (II 665), Cadmo (IV 586 ss.), Pieridibus (V 670), Hecuba (XIII 567 s.) in pecudes transformatis narrat.

Simili autem modo crediderim Ovidium immiscuisse hanc rem, Actaeonem mutatam formam suam in aqua conspexisse (200 s.). Idem enim narrat de Ione in vaccam transversa I 639 ss.

Item in narratione de Semela (III 256—315), cum compendii mythologici expilatores idem narrent (cf. Apd. III 26 ss.; Hyg. f. 179; Diod. III 64, 3, (IV 2, 2; cf. E. Bethe, quaestt. Diod. p. 58 ss.), Nasonem e compendio hausisse censeo, cuius verba exornaverit. Audi enim Iunonem invidam iram effundentem in Semelam aemulam; nonne ipsius poetae ingenii oratorii notam haec prae se ferunt?

Praecipue autem ratio, qua Ovidius narrationem de Aeneae navibus l. XIV composuerit (cf. quae exposui p. 11) in memoriam revocatur versibus, quibus Cadmi et Harmoniae exitus illustratur (IV 563—603). Pariter enim omnis narrationis ars

in ipsa metamorphosi depingenda collocata est; quin vero singula rerumque inventiones ipsi Ovidio debeantur, haud dubito.

Hanc enim rem, quod Cadmus et Harmonia „malis annisque graves“, dum sibi narrant liberorum casus suasque sortes, in beluas transformati sunt, ad diversam fabulam accommodatam repetivit in narratione de Philemone et Baucide (VIII 712 ss.):

„annis aevoque soluti
ante gradus sacros cum starent forte locique
narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.“

Similiter autem atque in narratione de Cadmo et Harmonia (576 ss.) personarum membra, quae singula enumerantur, in alienam figuram transiisse in Daphnes (I 548 ss.), Callistus (II 477 ss.), Ocyrhoës (II 670 ss.), Tyrrhenorum (III 670 ss.), Pieridum (V 670 ss.), Dryopae (IX 349 ss.), Diomedis sociorum (XIV 497) aliisque fabulis legimus.

Huius praeterea rei, quod mutatae personae, cum loqui conabantur, beluarum more vocem emiserunt, supra (p. 31) exempla nonnulla contuli.

Priusquam denique totus conversus est Cadmus, lacrimis obortis supremos complexus a coniuge poscit (581). Quod similiter legis in Philemonis et Baucidis (VIII 716 ss.) et in Dryopae (IX 365 ss.) fabulis.

Inchoavit Ovidius Inus et Athamantis fabulam (IV 416—562), ut summo colorum ornatu narraret, Junonem Libero eiusque altoribus iratam Inus et Athamantis perdendi consilium cepisse (420—431) ideoque in Tartarum descendisse (qui describitur 432—463) et Tisiphonam in coniuges incitasse (469—511). Quae in universum ad Vergilii exemplum conformata esse facile demonstrari potest; nam Aen. VII 286 ss. legimus, Junonem Aeneae iratam Furiam Allecto ex inferis arcessisse, quae Amatam reginam Turnumque in Aeneam instigaret. Ipse legas Junonis in Aeneam obiurgationes (Verg. VII 293 ss.), quas illa apud Ovidium in Bacchum transfert. (420 ss.). Ut enim illic Junoni molestum est, quod Aeneas cum suis tot ex bellis, ex Troia incensa, ex maris periculis integer elapsus ad sedes tandem, quae ei promissae erant, pervenit, sic in Metamor-

phosibus Juno irata est, quia Bacchus Tyrrhenorum Minyadum Penthei exemplis potestatem suam divinam ostendit.

Quomodo autem Tisiphone Inoni et Athamanti insaniam incusserit, hoc Ovidium secundum Vergilium narrare M. Haupt vidit (v. annot. met. IV 495; met. IV 495—499 = Verg. Aen. VII 346—353).

Manifestum est igitur Ovidium a Vergilio pendere, nisi quod imitator atrocitatem auxit; suo autem Marte Tartari descriptionem interposuit, quam luminibus cum ex Aeneide tum ex Odyssea depromptis exornatam esse M. Haupt annotavit (ad met. IV 443). In universum autem Ovidium talibus descriptionibus magnopere indulsisse discimus ex iis, quae de Fama eiusque spelunca (XII 39—63), de Invidia (II 760—801), de Fame (VIII 788—822), de Somno (XI 592—649) versibus mandavit.[18]

Ad ipsam iam fabulam accedentes nil invenimus in Ovidii narratione, quod demonstret, Ovidium praeter compendium, unde eum fabulam attulisse supra (p. 19) ostendimus, alium fontem scriptum frequenter ascivisse.

Legebatur in compendio, Athamantem in venatione (Apd. III 28: „ὡς ἔλαφον θηρεύσας“; Hyg. f. 5: „in venatione“) Learchum occidisse. Cui rei Ovidius obloqui videtur, cum dicat Athamantem insanum opinantem se in venatione versari in aula retia tendere comites iussisse coniugemque cum filiis ut leaenam (contra Apd. l. l.: „ὡς ἔλαφον“) sectatum esse. Sed consulto Ovidius rem mutavit. Tisiphonem enim Inonem et Athamantem in regia quaesivisse narrat (486 ss.) ideoque rem ita vertit, ut caedem non in silvis, sed ipsa in regia ante oculos Inonis factam esse dicat; qua ratione narrationis vis et terror valde auctus est.

Quod autem Ovidius addidit, deprecante Venere Inonem in maris dearum numerum a Neptuno acceptam esse (531 ss.), simili modo metamorphoseis multas ab Ovidio inchoatas esse moneo, cum, ut exempla afferam, XIII 583 ss. Aurora Jovi

[18]) Notam prae se ferunt Alexandrinae poeseos tales descriptiones. Ac revera exemplum Callimachi tenemus, qui hymn. 2, 105 ss. Invidiam induxit, et in Coroebi fabula ἐν α' Αἰτίων monstrum divinum τὴν Ποινήν depinxerat. Cf. Stat. Theb. I 597 ss., quos versus ex Callimacho fluxisse Knaack ostendit Anal. Alex.-Rom. p. 14 ss.

pro Memnone, XIV 581 ss. Venus Jovi pro Aenea, XIV 805 ss. Mars iidem deo pro Romulo, VIII 595 ss. Achelous Neptuno pro Perimela supplicent.

Nescio denique, quo ex fonte Ovidius addiderit Inus comites ab Junone in aves aut scopulos mutatas (543—562). Sed ab Alexandrino quodam hanc rem sumpsisse cum propterea potissimum censendum est, quod eodem modo Meleagri fabulae annexuit sorores eius mortem deflentes Nicandrum imprimis secutus (met. VIII 526 ss.; cf. Anton. Lib. f. 2, ex Nicandri *ἑτερ.* l. III; v. Surber, „die Meleagersage“, Diss. Tur. 1880, p. 121 s.); itidem Heliades Phaëthontem lacrimis prosecutas (II 430 ss.) et in arbores mutatas ad Alexandrinum quendam referendas esse G. Knaack exposuit (Quaestt. Phaëthont., in A. Kiessl. et U. de Wilamow. philol. Unterss. 8, p. 64 ss.).

CAPUT III.

De Procnae et Philomelae, Argonautarum, Medeae, Thesei, Daedali fabulis ab Ovidio tractatis.

Met. VI 412—674 Ovidius fabulam de Procna et Philomela uberrimis coloribus exornatam conserte contexteque narrat. Atque quoniam primum exsistit quaestio, quaenam Ovidio cum Sophoclis Tereo tragoedia communia sint, de huius tragoediae argumento restituendo quam brevissime agam.

Ex fragmentis nobis servatis atque ex Aristotelis Poet. c. 16, p. 1454 b 36, ex Aristophanis av. v. 100 s. (ad quem scholiastam audias) et 203 concludendum est:

1. rem in Thracia gestam esse Tereumque esse Thracem (Soph. frgm. 523).[1]

[1]) Pugnare videtur contra Sophoclem Thucydides II 29, qui statuit Tereum Pandionis generum non in Thracia, sed Daulide in urbe Phocaica olim a Thracibus habitata sedem habuisse.

2. Procnae horribilia Terei crimina tela signis intexta aperta esse (Aristot. Poet. l. l. = Soph. fr. 538; fr. 527; 526); ergo Tereus Philomelae a sorori remotae linguam exciderat.
3. Tereum Procnam Philomelam in aves esse mutatos (Aristoph. Av. 100 s.; 203).

Quae omnia etiam apud Ovidium inveniuntur et hoc praecipue, quod *ἀναγνώρισις* tela signis intexta facta sit, quae res fabulae Sophocleae quasi cardo est.[2])

At etiam in fonte suo fabulari, quem diligenter eum adscivisse modo vidimus, Ovidius eandem fabulam legit (cf. quae de hac re exposui p. 23 s.). Apollodori (III 193 s.) enim narratio, quamvis valde contracta decurtataque, optime cum Ovidio congruit, dummodo ea demas quae ex altera illa fabulae forma influxisse apparet, cuius testis est Hyginus (f. 45), scilicet verba: „*εἰπὼν τεθνάναι Πρόκνην*“ et „*αὖθις δὲ γήμας Φιλομήλαν συνηυνάζετο.*“[3])

Hoc tantum in uno Ovidius ab Apollodoro distat, quod Tereus Thracum rex apud mythographum contra Thebanorum regem Labdacum auxilium fert (bibl. III 193), apud poetam contra barbaros quosdam Atticam invadentes (met. VI 422 s.). Quam rem ab ipso Ovidio inventam esse apparet; nam Labdaci illud bellum, cum modo Niobae eiusque liberorum casus tractasset et addidisset finitimos Graecorum nobiles, praeter Athenienses, consolandi causa Thebas convenisse, aptum ad Procnae fabulam transitum ei non praebuit.[4])

Vix Philomelae et Procnae fabula narrata Ovidius, cum

[2]) Accuratum tragoediae Sophocleae argumentum dilucida Libanii narratio praebet (apud Westerm. myth. Gr. p. 382, LXIV), quacum in unaquaque fere re concinit Ovidius; atque eadem est utrobique causa, ex qua totum malum ortum sit, quod Tereus, cum Procne sororem videre cupiverit, Philomelam Athenis adduxerit, similiaque afferuntur de sollemnibus illis, in quibus Philomela sorori pallium dono misit.

[3]) Nullo pacto conveniunt haec verba cum iis, quae Apollodorus habet de Philomela a Tereo violata et de pallio (*πέπλῳ*) illo signis intexto, quo Philomela Procnam de Terei crimine certiorem fecerit; optime autem quadrant in Hygini fabulam 45.

[4]) Similiter Ovidius I 568 Daphnes et Ionis fabulas coniunxit. Dei enim fluviales ad Peneum, qui Daphnen amisit, veniunt consolandi causa; solus Inachus abest, qui ipse Ionem filiam lugeat.

Pandionis mortis mentionem fecisset (675 s.), Erechtheum regni heredem fuisse dicit (677). Commemorantur eius liberi, ex quibus Procridem quidem, Cephali uxorem, leviter tangit (682), Orithyiam autem a Borea raptam uberius tractat (682—721).

Vides his in rebus inesse certum rerum ordinem genealogiaeque connexum. Qualis igitur fons fuit, cui Ovidius talia debet? Hisne etiam in versibus Sophoclis tragoediam sibi adscivit, an potius fonte usus est, qui Atticarum seriem rerum ordine genealogico explicavit?

Atque re vera, quae in bibliotheca III 193—199 explicantur, iis respondent, quae Ovidius VI 412—712 partim leviter tacta, partim varie exornata profert. Etenim eodem modo a mythographo statim post Terei fabulam Pandionis mors notatur, nisi quod Ovidius apte finxit, Pandionem ob filiarum casum maerore confectum esse; et sicut Ovidius Erechtheum „sceptra loci“ (677) cepisse commemorat, ita similiter, sed explicatius, Apollodorus dicit filios patris potestatem inter se divisisse, ex quibus Erechtheus regis titulum sumpserit. Statim enumerantur liberi eius, quos e Praxithea habuit, Cecrops Pandorus Metion filii, filiae Procris Creusa Chthonia Orithyia (bibl. III 196). Pluribus deinde tractatur Procridis et Cephali (197 s.), Orithyiae fabula (199). Hanc Ovidius VI 682—721 ita narrat, ut eum mythographici fontis verba exornasse manifestum sit. Hoc tantum notandum est, inesse imitationem Apollonii Rhodii in v. 706 („caligine tectus“ = Arg. I 218: „περὶ νεφέεσσι καλύψας;“ utriusque haec verba in fine versus leguntur).

Pauca addenda sunt de Procride et Cephalo. Quorum fabulam Ovidius hic non tractat quidem, sed v. 681 ita tangit, ut in fonte suo eodem loco quo ab Apollodoro affertur exstitisse concludendum sit. Redit autem ad fabulam occasione data in l. VII demum (661 ss.), ubi a Cephalo ipso illa inter sermones narratur. Artificiorum igitur suorum ne tunc quidem Ovidius oblitus est, quem eadem libertate III 313 s. Inus et Athamantis fabulam loco movisse vidimus.

Affinitatem Ovidium inter et bibliothecam illustremus stemmate adscripto Pandionis progeniei qualem Apollodorus praebet, lineis ea nomina notantes, quae etiam Ovidius refert:

- Pandion.
  - Procne cum Tereo, Martis filio, met. VI 429.
    - Itys, met. VI 437.
  - Philomela.
  - Erechtheus, met. VI 677.
    - Cecrops — Pandion.
      - Aegeus — Theseus.
      - Pallas
        - Cliton,
        - Butes, met. VII 500.
      - Nisus.
      - Lycus.
    - Pandorus.
    - Metion.
    - Procris.
    - Creusa.
    - Chthonia.
    - Orithyia cum Borea, met. VI 711 ss.
      - Calais, Zetes, met. VI 716.
      - Cleopatra.
      - Chione.
  - Butes.

Distat quidem Ovidius ab Apollodoro hac in re, quod non tres Erechthei fuisse filios quattuorque filias, ut mythographus, sed quattuor filios totidemque filias dicit. Quod quidem poeticae licentiae ignoscas. Certe hoc ex nominibus ab Ovidio compluribus locis allatis apparet, Metamorphoseon narrationes eadem illa genealogia ac bibliothecae non ab omnibus auctoribus accepta inter se cohaerere.

Hactenus Ovidius de Erichthonii progenie eiusque casibus. Transit VII 1 ad novas res: Argonautarum expeditionem et Medeae historiam copiose tractat. Sed iterum revertit ad Atheniensium res v. 404, quo versu Thesei facta narrare coepit. Medias igitur in Atticas fabulas Ovidius inseruit Argonautarum et Medeae res, quas itidem ex compendio haustas esse statim ostendemus. At non modo has duas fabularum series compendio debet, sed etiam eodem libro fabulari commotus est, ut illum, quem modo commemoravi, transitum faceret ab Atheniensium rebus ad Argonautarum expeditionem. Nam Apollodorus III 199, cum Orithyiam Zeten et Calain Boreae filios peperisse narraverit, addit eos Iasonis navigationis participes fuisse. Eodem modo terminatur Orithyiae fabula Ovidiana 719 ss.:

„ergo ubi concessit tempus puerile iuventae,
vellera cum Minyis nitido radiantia villo
per mare non notum prima petiere carina (scil. Boreades)."

Hac coniungendarum fabularum ratione factum est, ut Ovidius medio Argonautas in cursu induceret VII 1:

„Jamque fretum Minyae Pagasaea puppe secabant,"

neque quicquam de itineris casibus commemoraret, nisi Boreadum contra Harpyias pugnam (v. 3 s.). Reliqua haec in verba coartavit: „multaque perpessi" (v. 5).

Celerrime inde procedit: Argo navis in Phasidem intrat, Argonautae vellus aureum ab Aeeta postulant, qui iis gravissimas condiciones imponit (6—8). Medea autem amore heroïs capta Iasoni auxilium fert, qui artibus magicis tauros domat, viros terrigenas vincit, vellus aureum rapit, cum coniuge in Graeciam revertit (VII 9—158).

Haec omnia ab Apollodoro eodem fere modo referuntur. Restat tamen ut quaeramus, num Ovidius ex Apollonii Argonauticis, ex quibus quae bibliotheca de iisdem rebus profert fluxisse consentaneum est, narrationis aliquot lumina petiverit.

Apollonii Argonauticorum imitationes apertae inveniuntur 74 ss., ubi Medeam in Hecatae templo cum Iasone collocutam herbas magicas ei tradidisse secundum Rhodium (Arg. III 802 ss.) narratur. Pugnat autem Ovidius in eo contra Apollonium, quod Medeam **fortuito** Iasonem vidisse dicit; etenim, ut amantis animi fluctuationem depingeret, primo eam amorem coercuisse (v. 72 s.), tum subito flammam rursus exarsisse fingit, cum Iasoni illa casu obviam facta esset (76 s.). Manifestus est Ovidius exemplum suum varians. Nam revera eum ad Apollonii narrationem respicere ex v. 98 s. colligi potest, ubi Medea, velut ad constitutum venerit, venena secum habet.

Ipsius Ovidii sunt Medeae animi perturbationes, de quibus apud Apollònium nihil. Epistularum vero et celeberrimae Medeae tragoediae auctorem etiam in Metamorphosibus solere amantium spes et curas depingere personasque secum loquentes inducere exempla docent Scyllae (VIII 44 ss.), Byblidis (IX 474 ss.), Iphidis (IX 726 ss.), Myrrhae (X 320 ss.), Atalantae (X 600 ss.).

Similia autem inter Apollonium et Ovidium haec sunt,

prima luce (Arg. III 1191 ss; Met. VII 100) in campum Martis (Arg. III 1270; Met. VII 101) Colchos convenisse, iuga occupasse spectaturos (Arg. III 1276; Met. VII 102), in medio sedisse ipsum regem (Arg. III 1275; Met. VII 102 s.).

Attamen, quamquam fortasse similitudinum Apollonium inter et Ovidium numerus facile augeri potest, nonnullis ex locis Ovidianis compendii usus apparet. Nam et apud mythographum et apud Ovidium ipse Iason ab Aeeta vellus aureum poscit, cum Apollonius Argum nepotem Aeetae internuntium inducat. Simillime igitur Apollodorus et Ovidius:

Bibl. I 127.	Met. VII 6 ss.
... *ἐπὶ Φᾶσιν ποταμὸν ἦλθον* (sc. *οἱ Ἀργοναῦται*) ... *ἐγκαθορμισθείσης δὲ τῆς νεὼς*	... contigerant rapidas limosi Phasidos undas
ἧκε πρὸς Αἰήτην Ἰάσων, καὶ τὰ ἐπιταγέντα ὑπὸ Πελίου λέγων παρεκάλει δοῦναι τὸ δέρας αὐτῷ·	dumque adeunt regem Phrixeaque vellera poscunt
ὁ δὲ δώσειν ὑπέσχετο, ἐὰν τοὺς χαλκόποδας ταύρους μόνος καταζεύξῃ ... § 128: ... *τούτους αὐτῷ ζεύξαντι ἐπέτασσε σπείρειν δράκοντος ὀδόντας* ...	lexque datur Minyis magnorum horrenda laborum.

simillime uterque procedit:

§ 129: *ἀποροῦντος δὲ τοῦ Ἰάσονος πῶς ἂν δύναιτο τοὺς ταύρους καταζεῦξαι, Μήδεια αὐτοῦ ἔρωτα ἴσχει* ...	concipit interea validos Aeetias ignes.

Legas contra Apollonium, qui in tertio libro more poetae epici enarrat Minervam et Junonem consiliis inter se communicatis Veneri persuasisse, ut Medeam erga Iasonem amore imbueret, illam autem iussisse sagittis Medeam feriri, Chalciopam praeterea sororem Medeam adhortatam esse, ut Iasonem ab interitu retraheret. De his et apud mythographum et apud Ovidium nihil.

Epitomam Ovidium adhibuisse colligi potest praeterea ex eo, quod tempora, quae Apollonius diligenter affert, prorsus neglexit.

Comprobatur denique compendii usus his rebus. Exitus Apollonii carminis is est, Argonautas ad extremum feliciter in patriam pervenisse. Ovidius autem et mythographus, postquam narraverunt Argonautas ad Iolcum navem appulisse (Apd. I 142; met. VII 158; animadvertas, Apollonium [IV 1781] in universum dicere Argonautas in „ἀκταῖς Παγασηίδαις" ex nave egressos esse), fabulas quae de Iasone et Medea agunt, tractare pergunt, ac quamquam sane poeta suo more alia omisit alia auxit alia aliunde inseruit, versibus eius eundem subesse fabularum ordinem atque apud mythographum haud difficile est demonstratu, postquam intelleximus, Ovidium aliunde inseruisse fabulam de Aesone Iasonis patre, quem Medea iuvenem reddiderit. Carolus enim Robert („Bild und Lied" p. 231, 5) statuit, Nasonem Aesonis fabulam coniunctam cum illa de recoctis Bacchi nutricibus sumpsisse ex Euripidis Medeae hypothesi, qualem nunc tenemus.[5])

Dempta igitur hac narratione idem est rerum ordo apud Ovidium et apud mythographum: sequitur post Iasonis in patriam reditum Peliae horrida mactatio. Quae autem in bibliotheca (I 143) leguntur de Iasonis familia a Pelia deperdita, Ovidius omisit, quippe qui Aesonem vivum induceret. Ipsius iam Peliadum fabulae exemplum quaerentes neque de Sophoclis Ῥιζοτόμοις neque de Euripidis Πελιάσι certi aliquid scire nos concedendum est; nisi de hac tragoedia fidem habemus Mosi Chorenensi, qui contra Ovidium rem in Thessalia, quo Iason cum Medea ex Scythia pervenerit, actam esse dicit (in Progymn. l. III; v. Nauck T. G. F^2. p. 550). Rursus autem consentit cum Ovidio Apollodorus, qui (I 144) Medeam post reditum, tempore interiecto, a Pelia poenas cepisse narrat.[6]) Neque in extremis

[5]) Frustra mihi Vollgraff (l. l. p. 81 ss.) Hygini loco (f. 182) allato contra Robertum pugnare videtur. Res enim decernitur fabularum connexu; neque enim solum eodem modo, quo hypotheseos auctor Aesonis fabulae, de qua apud Hyginum nihil, narrationem de Bacchi nutricibus Ovidius subiunxit, sed etiam Nostorum versum in hypothesi servatum versibus auxit et exornavit 262 ss.

[6]) Aliter Diodorus IV 50—53, quem ex Dionysio Scythobrachione sua hausisse E. Bethe (l. l. p. 14) demonstravit, et Hyginus f. 24. Consentiunt enim Iasonem redeuntem, cum non longe ab Iolco afuerit, Medeam prae-

narrationis versibus, ubi legimus Medeam facinore commisso fuga salutem petivisse (350 ss.) abhorret Ovidius a mythographo, quamquam haec a poeta breviter tantum annotantur; cf. bibl. I 144: „Ἄκαστος δὲ μετὰ τῶν τὴν Ἰωλκὸν οἰκούντων τὸν πατέρα θάπτει, τὸν δὲ Ἰάσονα μετὰ τῆς Μηδείας τῆς Ἰωλκοῦ ἐκβάλλει."

Medeam autem curru iunctis draconibus Corinthum fugisse Ovidius ipse invenit, ut longam illam interponeret seriem fabularum breviter commemoratarum, quas velut in transcursu annectit ad omnes, quas Medeam praetervolasse fingit, urbes insulas regiones (351—390). Nec non Corintho commemorata celeriter adnotat de hominibus ex fungis exortis fabulam, quam nusquam alibi legis (v. 392 s.). Artificia autem inventaque Ovidii effecerunt, ut narratio paululum perturbaretur; ubi enim Iason, quocum Medeam Iolco fugisse Apollodorus dicit (bibl. I 144 s.)?

Eodem modo atque mythographus (I 145) Ovidius procedit (394 ss.), nisi quod iis, quae Corinthi facta essent, quasi appendicem Periphantis fabulam subiunxit (VII 399—401).[7]) Reliqua autem eadem sunt: Medea Glaucam, Iasonis nuptam, venenis interficit, filios suos necat, iunctis draconibus Athenas ad Aegeum fugit. Quae cum ab ipso Ovidio in tragoedia tractata sint, summa brevitate absolvuntur. Adnotem cum Diodoro, qui ipse sua ex compendio sumpsit (cf. E. Bethe quaestt. Diod. p. 18), Ovidium consentire, funestis Medeae donis nuptialibus regiam flammam concepisse (395).[8])

In fine huius cycli Medeam, postquam Athenas fugerit,[9]) ab Aegeo in matrimonium acceptam esse Ovidius commemorat (403). Sed v. 404 redit eo, unde extremis libri VI versibus

misisse, quae Peliae insidias machinaretur. Peliae deinde interfecti signo a Medea dato Iasonem ex insidiis advenisse, regia potitum esse, Acasto Peliae filio, qui secum ad Colchos ivisset, regnum tradidisse, ipsum autem cum Medea Corinthum emigrasse.

[7]) Cf. Anton. Liber. f. 6.

[8]) Quod item legitur apud Hyginum f. 25.

[9]) „Titaniacis draconibus" Ovidius v. 398 Medeam Athenas vectam esse cum mythographis consentit (cf. Apd. I 146; hypothes. Med. Eur.). Lege quae de hac re disseruit E. Bethe in „Prolegomena z. Gesch. d. Theaters" p. 147 ss.

egressus erat, Theseique adulti Athenas reditum, Minois contra Athenas expeditionem, Minotauri a Theseo victi fabulam, Daedali casus breviter tractat, narrationem deducens usque ad VIII 269; et rursus fabularum seriem a mythographo acceptam narrationibus aliunde petitis exornat.

Antequam autem ad ipsas fabulas accedamus, versus attendas eos, ubi Ovidius a Medea ad Theseum transit. Nam non alio duce hic eum usum esse atque supra (v. p. 37 s.), cum ab Atheniensium rebus ad Iasonem transiret, bibliotheca docet, ubi I 147, postquam Medeam ab Aegeo in matrimonium acceptam esse dixit, adnotat illam postea, quia Theseo insidiata sit, Athenis expulsam cum Medo filio ad Colchos pervenisse. De Medea autem ad Colchos reversa apud Ovidium nihil invenitur, quippe qui iam ad Thesei facta transierit.

Laetis igitur auspiciis etiam iis, quae sequuntur de Theseo Minoe Daedalo, eundem illum fontem mythographicum subesse demonstrare conemur.

Interposuit quidem Ovidius fabulas aliunde petitas de aconito[10]) (VII 408—419), de Myrmidonibus ex formicis ortis (VII 518—660), de Cephalo, Procride, vulpe Teumessica (VII 686—862), de Perdice a Daedalo interfecto (VIII 236—259).

Jam quaeritur, num secretis iis, quae notavi, narrationes de Theseo Minoe Daedalo ita inter se cohaereant, ut Ovidium earum seriem ex compendio hausisse sumendum sit.

Quae quidem de Theseo Troezene redeunte Ovidius profert (VII 404—424), scilicet heroï, cum ignotus Athenas redierit, Medeam poculum veneniferum paravisse, quod cum ille ad os apponere voluerit, Aegeum patrem filium gladio agnovisse et poculum ei manibus deripuisse, haec omnia eodem modo apud Apollodorum (ep. Vat. 1, 4 ss.) leguntur, nisi quod Ovidius variatis mythographi verbis Medeam „nebulis per carmina motis“ (v. 424) Athenis effugisse narrat.[11]) Item poetae varianti, qui

[10]) Fabula ex Euphorione petita est; cf. Schultzii Euphorionea p. 33 s.; diss. Argentor. 1888.

[11]) Ov. v. 424: „effugit illa necem nebulis per carmina motis“; Apollodorus autem bibl. ep. 1,6: „Θησεὺς δὲ . . . ἐξέβαλε τὴν Μήδειαν.“ At nil interest, quoniam ex consuetudine variantem habes poetam. Quod contra

non omnium fabularum compendium componere sibi proposuerit, id tribuendum est, quod praeteriit Aegeum Medea suadente Theseum contra bovem Marathonium emisisse, sed huius expeditionis 433 s. demum inter Thesei res Isthmicas obiter mentionem facit.

Atque iam repperit Ovidius occasionem rerum Thesei gestarum, quas supra, cum Theseum induxit, omiserat, afferendarum. Lepide igitur invenit Aegeum laetum convivium parasse, in quo Thesei laus et virtus carmine celebrata sit (VII 425 ss.). Quo carmine, praeter expeditionem illam Marathoniam, eadem commemorantur atque in bibliotheca (III 216 ss., ep. Vat. 1, 1—4) Thesei facta, scilicet in aprum qui fuit Crommyone res gesta (435 s.) in Periphetem (436 s.), Procrustem, cuius nomen Apollodorus (ep. Vat. 1, 4) Damasten vel Polypemonem tradit (438), Cercyonem (439), Sinim (440 ss.), Scironem (443 ss.). Non praeteream neque Ovidium (447) neque mythographum (ep. 1, 2) omittere annotationem, saxa prope Megara a Scirone nomen accepisse.

Sed etiam iis, quae in Metamorphosibus inde a v. 453 sequuntur, Atticarum fabularum series subest.

Ac primum animadvertas, quam callide Ovidius fabulas aliunde induxerit. Narrat enim Minoem, ut Androgei necem vindicaret (458; cf. Apd. III 209), Atheniensibus bellum intulisse (456 ss.; cf. Apd. III 210) atque, ut exercitum augeret, multas insulas sibi adiunxisse, Anaphen, Astypalaeam, Myconum, Cimolum, Cythnum, Seriphum, Parum, Siphnum, cuius ignotam fabulam Ovidius affert (465—468). Aeginae autem Aeacus rex Minoem auxilium petentem repellit, quoniam insula artissimo cum Atheniensibus coniuncta sit vinculo, atque re vera Minoe vix avecto (490 s.) Atheniensis adest Cephalus cum Clyto et Buta, Pallantis filiis, auxiliumque ab Aeaco petit et accipit.

Jam apparet, quam ob rem Ovidius Aeacum Cephalumque

Wernickium moneam, qui in Pauly-Wiss. lex. vol. I col. 954 Justinum (II 6, 14) cum Ovidio dicit consentire, Medeam sua sponte Athenis emigrasse. Sed plane aliter res se habet apud Justinum: „A quo (sc. Aegeo) per divortium discedens propter adultam privigni aetatem Colchos cum Medio filio . . . concessit.“

induxerit. Occasione enim oblata[12]) Aeacus cum ipsius casus tum Myrmidonum ortum ex formicis ductum narrat (VII 523—660),[13]) Cephalus autem, cum Phocus, Aeaci filius, iaculum eius admiretur, Procridis, a qua iaculum acceperat, ipsiusque fata profert (VII 686—862).[14]) Quas fabulas Ovidium aliunde inseruisse statuo. Nam non modo cum Theseo nullo pacto cohaerent, sed etiam contra temporis rationem Cephalus inducitur, Theseus autem tot in versibus ne uno quidem verbo commemoratur. Nimirum, cum narrationes illas insertas excoleret, herois Ovidius oblitus est.

Quibus expositis Ovidius ad Minoem simulque ad fontem mythographicum redit (VIII 6 ss.) eodemque ordine adicit ea quae Thesei in patriam reditum praecedunt, scilicet Minoem Megaris, quam urbem obsederit,[15]) Scyllae Nisi filiae proditione

[12]) Desiderat Cephalus multos, quos quondam viderit, cum Aeginam venerit (513 ss.). Deinde ei Aeacus pristinorum Aeginae incolarum interitum novique generis ortum mirificum narrat. Idem igitur habes narrationis initium, quo Ovidius Anii filiarum fabulam Aeneae erroribus insertam inchoavit XIII 640.

[13]) De Junonis in aemulam Aeginam ira et de pestilentia a dea missa Ovidius cum Hygino (f. 52) consentit, qui poetam aliquem secutus esse videtur. Attamen non desunt in Ovidii narratione vestigia doctrinae mythographicae. Adnotatur enim v. 473 ss. Aeginam insulam, quae antea Oenopia nominata sit, a matre Aeaci nomen accepisse; cf. bibl. III 157: „Ζεὺς δὲ .... Αἴγιναν .... κομίσας εἰς τὴν τότε Οἰνώνην λεγομένην νῆσον, νῦν δὲ Αἴγιναν ἀπὸ ἐκείνης κληθεῖσαν ...“ Aeginae autem pristinum nomen, quod habet Ovidius, Oenopiam etiam Pind. Isthm. 8 (7), 45 tradit.

[14]) Prorsus etiam in singulis rebus cum Ovidio congruit Hygini f. 189; cf. de Wilamowitz., Herm. vol. 18 (1883) p. 424 ann. Tamen apud Ovidium ad antiquiorem fabulam ab Apollodoro servatam (III 197 s.) nonnulla respiciunt. 'Sicut enim in bibliotheca (III 196) ita etiam in Metamorphosibus Procris Erechthei filia est, cum Hyginus Pandionem patrem exhibeat. Imprimis autem ad antiquam fabulam id est referendum, quod apud Ovidium Cephalus ab Aurora r a p i t u r (v. 704; 732), qua de re apud Hyginum nihil.' Fabulam denique de vulpe Teumessica, quam Ovidius post Cephali res attulit, coniunctam cum Procridis et Cephali fabula ex compendio repetere ei licebat (cf. Apd. I 57 ss.).

[15]) Ciris auctor Minoem propterea Megara oppugnasse dicit, quia in hanc urbem Polyidus vates confugerit. Quam sententiam ad Parthenium, qui igitur raram fabulam atque ipso in loco natam narravisset, referendam esse opinatus est Knaack, Mus. Rhen. vol. 57 p. 226 ss. („Hellenistische

potitum esse; bellum autem Minois neglecta mythographorum auctoritate, ut commodius narrationes suas de Myrmidonibus Procride Cephalo inducat, post Thesei demum Athenas adventum affert.

Quaeritur, quid Ovidius de S c y l l a Nisi filia (VIII 6—151) ex compendio discere potuerit. Eadem certe qua in bibliotheca (III 210 s.) sede fabulam legisse Ovidium supra ostendimus. Singula autem si spectamus, idem est apud utrumque Scyllae crimen, et ea quae de poena Apollodorus dicit (III 211) „Μίνως δὲ ... τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσας ὑποβρύχιον ἐποίησε“, Ovidius his significat 141 s.:

„puppimque amplexa recurvam
per freta longa trahar“

et 144: „Gnosiacaeque haeret ... carinae.“

Metamophorsim quidem, quae apud Apollodorum nondum exstat, Ovidium ex alio fonte addidisse apparet.[16])

Veri igitur simillimum mihi esse videtur hac etiam in fabula narranda Ovidium ea, quae compendium praebuerit, luminibus variis ex fontibus depromptis exornasse.

Quae de Minotauro (155), labyrintho a Daedalo constructo (159—168), tributo Atheniensibus a Minoe imposito (170 „Actaeo bis pastum sanguine monstrum“) Ovidius habet, ita comparata sunt, ut poetam tritas res proferre apertum sit. Attamen protulit eas, ut ea afferret quae, cum Minoem induxit, omiserat, neque aliter fabulas inter se coniunxit atque Apollodorus (III 213—215).

In iis vero, quae proxime sequuntur, reducit tandem Theseum, quem VII 452 dimisit, et eadem atque in praecedentibus versibus breviloquentia narrare pergit, heroem cum „tertia sorte“ (171; Apd. ep. I 7 „καὶ εἰς τὸν τρίτον δασμὸν τῷ Μινοταύρῳ

Studien I; Nisos und Skylla“). Contra cum bello Minois adversus Athenienses fabulam coniungunt Ovidius et Apollodorus, apud quem Nisus Pandionis filius est.

[16]) In Scyllae fabula Ovidiana trium poetarum narrationes subsimilitas disputatione distinxit G. Knaack (l. l. p. 225 s.); Parthenium (cf. Schol. Dion. Per. 420) ab Ovidio adhibitum esse dicit in ipsa μεταμορφώσει excolenda. At recte duas μεταμορφώσεις diversas Nasonem contaminasse statuit iam G. Plaehn (l. l. p. 49).

συγκαταλέγεται sc. *ὁ Θησεύς*) in Cretam missum Ariadnae auxilio ex labyrintho evasisse (172 s.; Apd. ep. I 9); in quibus bene poeta congruit cum mythographo, nisi quod omnia in paucos versus coegit. Distat autem ab Apollodoro, quod Ariadnam a Theseo perfido in Naxo insula desertam esse narrat et, ut metamorphosim afferat, nonnulla de Ariadnae corona a Baccho inter astra relata addit. Contra Apollodorus (ep. I 9) eam a Baccho amore incenso raptam esse dicit, quod legebatur olim in compendio,[17]) neque de *καταστερισμῷ* quidquam profert. Nimirum Ovidius eam fabulae formam secutus est, quae tum Romae, post Catulli carmen 64 in lucem prolatum, in omnium ore versabatur quamque ipse compluribus locis narraverat (v. imprimis A. a. I 525—564, praeterea cf. fast. 3, 461 et Her. X, ubi Ariadnae desertae questus copiose describuntur).

In proximis vero singularis occurrit consensus Ovidium inter et Apollodorum. Uterque enim coniungit Daedali,[18]) qui genealogia cum Atheniensium regibus cohaeret (v. Apd. III 214),[19]) et Icari fabulam[20]) cum iis quae praecedunt de Thesei in Cretam facta expeditione. Sed Aegei mortem (Apd. ep. I 10 s.) Ovidius praeterit, sicut saepe notissima breviter tangit vel plane omittit. Atque mirum quantum Ovidius in Daedali fabula excolenda cum Apollodoro concinit: eadem patris anxii praecepta utrobique habes, eodemque modo describitur Icari miserabile fatum (bibl. Ep. Vat. 1, 12 s.; met. VIII 203 ss., 223 ss.). Quod autem Ovidius 234 s. addit, Daedalum Icari corpus sepelivisse, apud Apollodorum non legitur, sed Hercules ibi hoc munere

[17]) E. Bethe, Quaestt. Diod. p. 63 et annot.

[18]) Minois in Daedalum irae diversae a mythographis afferuntur causae, altera, quod Daedalus Pasiphaae vaccam construxerit (Diod. 4, 77. Zenob. IV 92. Hyg. f. 40; Schol. Hom. *B* 145), altera, quod Thesei et Ariadnae fugam expediverit (Apd. bibl. ep. 1, 12; cf. Schol. Hom. *Σ* 590). Utramque fabulae formam in bibliothecae fonte exstitisse E. Bethe ostendit l. l. p. 64. Ovidius illam narrationem secutus est, quae Daedali fabulam cum Thesei rebus coniunxit, etiamsi, cur Minos Daedalo succensuerit, non dicit.

[19]) De Daedali stirpe v. Toepffer, att. Geneal. p. 165 ss.

[20]) Callimacho Ovidium usum esse contenderunt Plaehn (l. l. p. 19 s.) et Wagner (Curae mythogr. p. 132) scholii Hom. *B* 145: „*ἱστορεῖ Φιλοστέφανος καὶ Καλλίμαχος ἐν Αἰτίοις*“ subscriptione nisi, cui nullam fidem habendam esse E. Schwartz demonstravit in Fleckeis. Annal. 1881, Suppl. XII, p. 405 ss.

fungitur (Apd. II 132; cf. Pausan. IX 11, 5; Schol. Hom. *B*. 145). Sed hanc etiam rem in compendio olim exstitisse non desunt indicia. Cum poeta enim consensisse concludendum est fontem Palaephati (de incred. 13), qui saepissime easdem res atque compendii expilatores tractat. Idem indicare videtur praeterea Diodorus (IV 77), qui hoc ipso loco compendium sequitur (v. E. Bethe, l. l. p. 64).

Perdicis fabulam, quem Apollodorus (III 214) Talum nominat, ita inchoavit Ovidius, ut cum Daedalus Icarum sepeliret, illum in avem sui nominis mutatum adfuisse et Daedali malis gavisum esse fingeret (VIII 236 ss.). Quod ipsi Ovidio tribuendum esse facile intellegitur. Sed non solum hoc a bibliotheca alienum est, immo ne de Talo quidem in avem mutato quidquam scit mythographus. Attamen cum in bibliotheca fabula inter Daedali res afferatur (Talum Daedali sororis filium et eius discipulum fuisse Apollodorus dicit l. l.; item Ovidius 241 ss.), non dubito, quin poetae compendium ansam praebuerit, ut Perdicem cum Daedalo coniungeret.

260 ss. Ovidius adnotat, Daedalum denique in Siciliam ad regem Cocalum pervenisse, qui eum a Minoe tutatus sit. Quae res accuratius et uberius, sed eodem loco tractatur ab Apollodoro (ep. 1, 14 s.).[21])

Similem totius fabularum seriei finem facit Ovidius ac bibliotheca, cum 262 ad Theseum redeat. Sed cum ille de Hippolyto, Phaedra, Ixione, Caeneo, Pirithoo, Thesei morte accurate et ordine ageret (ep. I 16—24), Ovidius universe adnotat Thesei nomen in omnibus Graeciae regionibus celebratum heroisque auxilium in multorum bellorum discrimine requisitum esse (VIII 267 s.). Sed bene explicatur Ovidii breviter dicendi ratio, quod Caenei et Hippolyti fabulas alio loco affert

[21]) Diversam a bibliotheca fabulam Ovidius significare videtur v. 261, ubi Cocalum pro supplice arma sumpsisse dicit. Lucem accipit versus ex Pausaniae, qui saepenumero fabulas suas ex compendio attulit (cf. E. Bethe Quaestt. Diod. passim), VII, 4, 6: „*καὶ πόλεμον παρέσχε τοῖς Σικελοῖς αἰτίαν πρὸς τοὺς Κρῆτας, ὅτι ἐξαιτοῦντος Μίνω μὴ πρόοιτο αὐτὸν* (sc. *τὸν Δαίδαλον*) *ὁ Κώκαλος.*“ Additum est Cocali filias de nece Minoi inferenda consilium iniisse. Item Minoem Siculis ob Daedalum receptum bellum intulisse Diodorus IV 79 dicit.

(XII 171 ss.; XV 497 ss.), reliquae autem metamorphoseis occasionem narrandi non praebent. Thesei denique mortem hanc propter causam non commemorat, quod, ut aptum sibi ad Meleagrum transitum paret, Theseum inter apri Calydonii venatores enumerat (VIII 270 ss.).

CAPUT IV.

De Meleagri et Herculis fabulis ab Ovidio in Metamorphosibus narratis.

Meleagri Oenei filii mortis auctorem Althaeam matrem fuisse Ovidius narrat VIII 260 ss., cum ille avunculos suos interfecerit; sorores autem Meleagri praeter Deianiram et Gorgen fratrem deflentes in aves mutatas esse addit (526—546).

Transit iam v. 547 Ovidius ad novas res: Theseus, venationis Calydoniae particeps Athenas cum sociis rediens, ab Acheloo amne hospitaliter recipitur. Inter epulas deinde proferuntur narrationes de Echinadibus[1]) (560—610), de Philemone et Baucide (618—724), de Erysichthone et Mestra (738—878), de Acheloi cum Hercule pugna (IX 1—88). His igitur fabulis se oblectant Achelous eiusque convivae; postridie autem prima luce iuvenes discedunt (93 ss.).

Sed pergit Ovidius de Nesso (IX 101—133), qui sicut Achelous Deianiram cupiverat, et de Hercule narrare. Nessus enim, cum Deianiram violare studeret, ab Hercule sagittis traiectus vestem mulieri tradidit venenato cruore imbutam ut „inritamen amoris". Multos post annos (v. 134) Deianira, cum Herculem Iolae amore incensum esse audivisset, vestem illam ei misit. Quam vixdum Hercules induerat, cum vis veneni apparuit. Atque ingens fuit Herculis furor; Licham enim, qui vestem attulerat, in mare misit, ubi saxum factus est (—229). Ipse tum in Oeta monte rogo exstructo se combussit, postquam Philocteti arcum suum donavit, ut flammam rogo iniceret. Junonis denique odio exsaturato Jovis voluntate heros in deorum numerum receptus est (—272).

Exclusis metamorphoseon fabulis de Echinadibus Philemone Baucide Erysichthone Mestra (VIII 560—878), quae neque ad Meleagrum neque ad Herculem pertinent, sed ab Ovidio narrationis variandae causa insertae sunt, duo restant historiae fabularis fragmenta, quorum alterum de Meleagro est, alterum Herculis res gestas tractat eas, quae in extremum vitae eius spatium incidunt (cf. Apd. II 148 ss.). Ac iure miraberis, quod Ovidius, nihil praefatus de Herculis rebus quae praecedunt, repente heroem induxerit Deianiram ab Oeneo expetentem et cum Acheloo pugnantem. Quam rem ut magis perspicias, lege quaeso Diodori l. IV c. 34, ubi inter Herculis facta, postquam illum ad Calydonios venisse commemoravit, de Meleagro disserit. Meleagri autem fabula, cui (c. 35, § 1) pauca de uxore Oenei altera Periboea addidit, ad finem perducta, § 2 ad Herculem reversus huius cum Acheloo pugnam narrat; tum vero expeditione Herculis et Calydoniorum contra Thesprotorum urbem Ephyram commemorata (c. 36, § 1) sequuntur Deianirae nuptiae, Herculis fuga cum uxore ob Eunomi (Apd. II 150) vel Eurynomi mortem, Nessi centauri poena. Nec diverso modo atque Ovidius Herculis res ad finem perducit (c. 37 ss.): heroem enim refert Oechalia capta Iolam captivam abduxisse, vestem mortiferam induisse, Licham interfecisse, Philoctetae arcum donasse, rogum ascendisse, in coelum sublatum Heben uxorem duxisse.

Ovidius igitur similiter ac Diodorus et Meleagrum cum Hercule coniungit et illius rebus absolutis easdem de Hercule fabulas eodemque ordine profert. Sed quomodo haec similitudo poetam inter et historicum nasci potuit, cum alter ex altero non penderet? Et in hac re teneas, Diodorum, quae IV 31—39 de Herculis rebus proferat, paucis modo exceptis compendio mythologico debere (cf. E. Bethe, quaestt. Diod. p. 69 ss.). Sed non solum haec, verum etiam quae exhibet c. 34—35 § 1 de

[1]) Non dubito quin Ovidius compendio commotus attulerit fabulam Perimelae (VIII 590—610) cuius mentionem Apollod. facit I 52. Sed apud hunc *Περιμήδη*, Acheloi uxor, filia Aeoli (cf. Schol. Pind. Ol. 3, 27: „*Περιμήλης τῆς Αἰόλου*") et Enaretae est, apud Ovidium Hippodamantis.

Meleagro et de Oenei stirpe ex compendio fluxerunt (v. E. Bethe l. l. p. 61 s.). Atque Meleagri fabulam historicus Herculis rebus inseruit eo loco, quo in fonte suo legerat Herculem Calydona venisse ibique de Deianira Oenei filia cum Acheloo pugnasse. Oenei igitur nomen eum commovit, ut ex eodem libro fabulari Meleagri sortem Oeneique stirpem velut *παρέκβασιν*, ut ipse dicit (c. 34, § 1), transferret. Quod ipsius Apollodori verbis comprobatur, qui postquam Herculis *ἆθλα* et parerga complura narravit, II 148 pergit exponere, heroem deinde Calydonem venisse, Acheloum ibi fluvium luctatione profligasse, cornu eius alterum abripuisse, Deianiram ab Oeneo uxorem accepisse. Tum eaedem narrationes eodem quo apud Diodorum ordine sequuntur (—II, 160).

Jam vero apud Ovidium prorsus eandem fabularum componendarum et connectendarum rationem invenimus. Aeque enim ac Diodorus Meleagri fabulam poeta coniunxit cum iis, quae traduntur de Herculis cum Acheloo pugna huiusque cornu abrupto, atque easdem fere fabulas eodem ordine tractat. Eodem igitur fonte quo Diodorum, compendio scilicet mythologico, usum esse Ovidium concludendum est.

Hoc quidem diiudicari non potest, utrum Naso eadem ac Diodorus via progressus Herculis ultima facta ante Meleagri res posuerit, an potius a Meleagro ad Herculem transierit. Nam bibliothecae auctor, sicut II 148 inter Herculis fabulas Oenei stirpem commemorat, ita I 64 inter fabulas ad Oenei progeniem spectantes, antequam ad Meleagrum transit, Herculis Deianirae mariti et pugnae eius cum Acheloo mentionem facit. Ut mihi quidem videtur, Ovidius, cum VIII 271 Thesei res absolvisset, memor participem illum fuisse venationis in aprum Calydonium[2]), Meleagrum cum eo coniunxit et inde narrationem ad Herculem Deianirae procum compendii auxilio usus convertit.

Quoque autem modo haec res se habet, id quidem ostendisse mihi videor, Ovidium, similiter atque eum in l. VI s. Atheniensium Argonautarum Medeae fabulas compendio commotum inter se coniunxisse vidimus, etiam hac in parte, ut

[2]) De Theseo clarissimo venationis Calydoniae socio v. Surber, die Meleagersage, p. 35 s. Diss. Tur. 1880.

seligeret apteque inter se connecteret fabulas de Hercule et Meleagro, eundem illum librum inspexisse. Sed ut dissimularet quam simplici modo fabulae coniunctae essent, inter Meleagri et Herculis res inseruit Thesei sociorum Acheloique, quod ipse finxit, colloquium et longas eorum lepidasque narrationes. Atque astute Ovidius rem ita instituit, ut non solum fabulae a Calydoniis Herculeisque prorsus alienae inter epulas proferrentur, sed etiam Herculis, quae poeta adnectere voluit, factorum initium, pugna scilicet Herculis cum Acheloo, ab ipso fluvii deo explicaretur; quo factum est, ut iucundissime medias in Herculis res lectores traducerentur.

Sed haec hactenus; videamus iam, quomodo Ovidius Herculis rerum gestarum seriem ad finem perduxerit.

Herculis exitus apotheosisque fabulam sequuntur narrationes de Galanthide (IX 281—323)[3]) et de Dryopa (IX 326—393)[4]) sic inter se copulatae, ut illam quidem Alcmena Iolae nurui, hanc autem Iole Alcmenae narret. Atque hae fabulae, quae Herculis res nullo pacto contingunt, insertae sunt; et ne ipsae quidem inter se cohaerent, cum suo Marte Ovidius Dryopam, cuius fabulam profert, Iolae sororem, Euryti filiam fuisse finxerit. Itaque qua ratione transitum sibi comparaverit Ovidius ab Herculis ad Galanthidis fabulam examinemus.

Inducit enim, ut arto res inter se vinculo coniunctae videantur, ipsam Herculis matrem Alcmenam Iolae sortem Galanthidis narrantem; Iolam enim illa habet, ut dicit Ovidius (276 ss.),

„questus ubi ponat aniles,
cui referat nati testatos orbe labores
cuive suos casus,“

et addit poeta Hyllum ex patris voluntate Iolam uxorem duxisse (cf. Apd. II, 159; Soph. Trach. 1219 ss.). At his pauca de Heraclidibus ab Eurystheo vexatis praemisit 273 ss., quae qua ratione ad transitum pertineant non perspicitur. Cur igitur quasi

[3]) Galanthidis fabulam ex Nicandri *ἑτερ.* l. IV (cf. Anton. Liber. 29) fluxisse ostendit Plaehn l. l. p. 37.

[4]) Ovidio in Dryopae fabula narranda obversata esse videtur Nicandri narratio (cf. Ant. Lib. 32); utriusque enim nomina praeter ea, quae Ovidius ipse attulit, eadem sunt, neque Apollinis erga Dryopam amor neque nymphae apud Ovidium desiderantur.

in transcursu huius rei mentionem iniecit? Sine dubio quia eam in fonte legit, in quo Herculis fabulam eius progeniei casus subsecuti erant. Atque revera in compendio mythologico fabulas ita dispositas fuisse Apollodorus testis est: Herculis enim morte narrata liberorum eius catalogum recenset (II 161—166), deinde (167 s.) Heraclidarum contra Eurystheum pugnam tractat.

Atque iam complectamur, quae hactenus de Ovidii fabulis Herculeis expedivimus. Adiit Ovidius fontem, ex quo traditum rerum tenorem commode cognoscere ei licebat. Sed omnes fabulas Herculeas tractare cum ei non placuisset, selegit Acheloum, Nessum, Herculem veneno imbutum inque deos relatum. Contra aspernatus est eas narrationes, quae praecedunt, nimirum cum metamorphoseis nullae inessent. De insertis vero fabulis, quas praecipue ex Alexandrinorum, ut credo, poetarum hortulis Ovidius decerpsit, quaestionem mittamus. Restat tantum, ut contra eos pugnemus, qui nimium tribuunt Euripidis Meleagro[5]) et Sophoclis Trachiniis.[6])

Ac primum quidem quaeritur, qualis fuerit enchiridii mythologici de **Meleagro** fabula. Vidit E. Bethe (Quaestt. Diod. p. 61) Apollodorum (I 64—73) et Diodorum (IV 34) duas de Meleagri morte narrationes praebere diversas, quas ex eodem libro fabulari hausissent. Altera quidem fluxit ex Iliade (I 533—599); altera vero Euripidis tragoediam secuta Meleagri in Atalantam amorem omnis calamitatis causam fuisse dicit. Quam formam Euripideam in compendio primum locum obtinuisse bibliotheca docet[7]). His quidem fabulis inter se discrepantibus in compendio additum erat, Althaeam (et Meleagri uxorem Cleopatram, Apd. I 73) se ipsam interfecisse feminasque Meleagrum deflentes in aves mutatas esse.

[5]) Surber, die Meleagersage p. 124: „im Ganzen ruht er (Ovid) durchaus auf Euripides und den von diesem einflussreichen Dichter gegebenen Anregungen. Auf Nikandros weist lediglich die Darstellung der Verwandlung von Meleagros Schwestern.“ Similiter Ehw. ad l. VIII v. 260.

[6]) Ehw. ad l. IX v. 1, v. 14 et passim.

[7]) Nicander (Ant. Lib. 2), ut doctus Alexandrini aevi poeta, Meleagri Euripide antiquiorem praebet fabulae formam cuius testem tenemus Bacchylidem (V [Blass.] 94—154), addit vero Meleagrides in aves mutatas, nonnullaque praeterea (cf. Ant. Lib. 2, 4 s.) ex Iliade inseruisse videtur. Euripidis tragoediae argumentum servavit bibliotheca; sed nescio an mythographus nonnulla, velut venatorum catalogum, ex fonte Bacchylidis et Euripidis, carmine videlicet epico aliquo, immiscuerit.

Itaque tenendum est, eandem esse Ovidii et hanc primam compendii fabulam, et ne de mulieribus quidem transformatis tacuisse mythographum; quae fortasse res Ovidium commovit, ut de Meleagri sororibus narrationem ex Nicandri ἑτεροιουμένοις (cf. Ant. Lib. f. 2) petitam adderet.

At velim paulisper animum attendas ad v. 299—317 et 345—444, ubi venationis in aprum socii enumerantur. Vides Ovidium venatores plerumque aut ipsorum (302, 303 ss., 311, 312, 360, 378, 380, 401, 404, 407, 412) aut patris nomine (301, 304, 308, 316, 317, 350, 371, 405, 411, 414, 434) designare, nonnumquam etiam utrumque nomen afferre (304, 307, 362 s., 403 s.), saepe autem patriam apponere aut venatoris ipsius (308, 310, 312, 315, 349) aut patris nomini (314), nonnullos vero venatores sola patria designare (317, 324, 365, 391, 426). Ovidii igitur fons ipsorum venatorum, parentum, patriarum nomina exhibuisse videtur, ex quibus quae apta ei videbantur poeta versibus inseruit.

Euripidem enumerasse quidem et descripsisse venationis sodales frg. 530 testis est; sed eiusmodi Ovidio seligendi occasionem eum non praebuisse et per se intellegitur et ipsum fragmentum docet. Minime praeterea est veri simile eandem fuisse nominum copiam in tragoedia atque in Metamorphosibus.

At in compendio eiusmodi doctum uberrimumque catalogum exstitisse ex bibliotheca (I 67 s.) et Hygino (f. 173) discimus, qui sine dubio ex ipso compendio haec descripserunt. Artissime autem indices Ovidii Apollodori Hygini inter se cohaerent. Nam omnes venatores, quos Apollodorus exhibet, leguntur apud Ovidium praeter duos, Cepheum scilicet et Iphiclem; eorum autem, quos Ovidius ultro nominat, complures invenimus in Hygini f. 173.[8]) Eundem igitur venatorum indicem et mythographi

[8]) Hygini f. 173 verba „Plexippus, Ideus, Lynceus Thestii filii, fratres Althaeae“ quippe quae, per se ineptae, bene ex Ov. l. VIII v. 304 s. falso intellectis explicentur, movent quidem suspicionem uberiorem Hygini catalogum ex Ovidio fluxisse; sed praebet Hyginus nomina nonnulla, quae etiam

et poeta expilaverunt doctum sane et copiosum; Apollodorus illustriora nomina selegit praeter Thestiadas duodeviginti venatores enumerans, plures praebet Hyginus, cuius indicem non integrum nobis servatum esse valde dolendum est (undetriginta + Thestii filios + Parth . . .), plurimos vero Ovidius (duodequadraginta + Hippocoontis filios [Enaesimum, v. 362]), qui haud de suo addidit obscuros illos heroes rarissimeque lectos velut Acastum,[9]) Lelegem, Panopeum, Hyleum.

Jam quid de Ovidio Sophoclis Trachiniarum imitatore statuendum sit videamus.

Ac primum observamus Nasonem lineamenta tragoediae haud diligenter servasse. Apte quidem inter se comparentur met. IX 136 et Trach. 237 s. (cf. Ehw. ad v. 137), quibus pariter Herculem in Cenaeo promunturio sacra fecisse narratur; tenendum tamen est, apud mythographos idem legi (Apd. II 157; Diod. IV 37; 38). Manifesto autem discedit Ovidius a Sophocle in sequentibus. Non dico de lacrimis querelisque Deianirae (141—151), cuius in tragoedia dignitatem animique altitudinem miramur; Ovidii enim cum Euripidis Hecuba comparata ostendit G. Plaehn (de Nicandro etc., p. 6 s.) poetam Romanum „ubique affectus quam vehementissime augere et amplificare.“ Sed inspice met. 145 s., quo ex loco apparet, famam de Herculis infidelitate ad Deianiram pervenisse, antequam Iola Trachina advenerit (cf. Ehw. ad v. 136), cum in tragoedia Deianira coram ipsa Iola rem audiat.

Alia est discrepantia, quod Ovidius Hyllum filium, quem

apud Ovidium desiderantur (sicut Aesculapium Apollinis, Alconem Martis, Euphemum Neptuni, Deucalionem Minois) neque ordo nominum idem est atque in Metam. Itaque recte M. Schmidt inter „Plexippus“ et „Thestii filii“ interpolatos esse Ideum Lynceum statuit.

[9]) Vasa picta nonnulla docent quae praebet Ovidius venatorum nomina ex fonte docto sumpta esse. Ita leguntur in vase quod dicitur „Françoisvase“ heroes qui etiam ab Ovidio enumerantur hi: Meleager Ancaeus Admetus Peleus Castor Pollux Atalanta Acastus; item in vase quodam fictili in antiquario Monacensi servato (v. Surber, l. l. p. 99 s.): Meleager Castor Pollux Mopsus. Ac praeterea, sicut Ovidius v. 378 ss. Peleum et Telamonem, par nobile fratrum, induxit, ita Scopas coniunctos eos effinxerat Athenae in templo Tegeaeo, cuius in tympano sculpserat venationem Calydoniam (cf. Paus. VIII 45, 6 s.).

in Oeta monte rogum exstruere Hercules iubet Trach. 1191 ss., ne commemorat quidem, inducit vero Philoctetem, quem rogum succendisse et sagittas accepisse narrat.[10])

Atque iam extra tragoediae argumentum cadit, quod narratur met. 239—272, scilicet Herculem denique inter deos relatum esse.

At non neglegamus similitudines. Manifesta quidem tragoediae imitatio legitur 182 ss., ubi iam veneno excruciatus vehementissima oratione laborum, quos perpetravit, Hercules recordatur (cf. Trach. 1091 ss.; Ehw. ad met. 182). Neque nego Sophoclis versuum memorem fuisse Ovidium nonnullis locis, quos R. Ehwald diligenter in annotationibus attulit. Quae quamquam concedo, hoc tamen moneo, esse indicia ex quibus concludendum sit Ovidium non unum exemplum ad Herculeas res narrandas adhibuisse, sed complura atque ea discrepantia.

Animadvertit enim R. Ehwald (ad v. 14) discrepare versus met. IX 14 s. et 113 s. a versibus 103 s. et 134 s., cum hic quidem Hercules Calydonem veniat Deianiramque uxorem ducat, antequam labores ab Eurysteo sibi impositos absolverit, illic contra Hercules tum demum Deianiram accipiat, cum labores perpetraverit. Hanc quidem opinionem traditam esse a compendio Apollodori (II 74 ss.) Diodori (IV 10 ss., 34) Hygini (f. 30 ss.) consensus comprobat; illa autem ad Sophoclis Trachinias referenda est[11]) (cf. Ehw. ad v. 14; Trach. 27 ss.). Hac etiam via ac ratione in idem illud compendium incidimus, quod ad apte connectendas Meleagri et Herculis fabulas Ovidium ascivisse supra ostendimus.

Age porro consideremus v. 182 ss., ubi Ovidius Herculem labores suos enumerare facit. Perspicuam hanc esse Sophoclis imitationem Ehwaldio concedimus. Sed non solum eos quos tragicus enumerat septem labores Ovidius repetit, verum addit reliquos parergaque quae dicuntur nonnulla.[12]) Quibus in ver-

[10]) Ad quam rem Sophocles quidem alludit v. 1210 ss.

[11]) Attamen Sophocleus Hercules sagittas Lernaeae hydrae veneno unctas iam possidet, cum Nessum punit (Trach. 574). Ergo novit tragicus alterum illum fabularum Herculearum ordinem a mythographis acceptum.

[12]) Laborum ordinem ad libidinem Ovidius mutavit. Ita Geryonem cum Cerbero coniunxit, nimirum propter utriusque „triplicem formam“ (v.

sibus odorem enchiridii mythologici sentire mihi videor, ex quo commodissime poeta laborum Herculeorum numerum compleverit.

Sed ne desideretur artior aliquis cum bibliotheca consensus, illustrat Ovidius horridam venenatae vestis vim his versibus (161 ss.):

„incaluit vis illa mali resolutaque flammis
Herculeos abiit late dilapsa per artus.“

166 s.: „nec mora, letiferam conatur scindere vestem:
qua trahitur, trahit illa cutem, foedumque relatu,
aut haeret membris frustra temptata revelli,
aut laceros artus et grandia detegit ossa.“

Quae non cum Sophocle, qui aliter rem describit (cf. Trach. 765 ss.; 1053 ss.), sed cum iis conspirant, quae legimus in bibliotheca (II 158): „*ὡς δὲ θερμανθέντος τοῦ χιτῶνος ὁ τῆς ὕδρας ἰὸς τὸν χρῶτα ἔσηπε, . . . τὸν δὲ χιτῶνα ἀπέσπα προσπεφυκότα τῷ σώματι· συναπεσπῶντο δὲ καὶ αἱ σάρκες αὐτοῦ.*“

Eandem praeterea originem clamant quae leguntur inde a v. 229. Narratione enim de Licha, cuius metamorphosin aliunde addidit,[13]) ad finem perducta Ovidius brevissima dicendi ratione narrare pergit, Herculem in Oeta monte rogum ascendisse, arcum autem sagittasque Philoctetae donum dedisse, qui rogum succenderit; met. IX 229 ss.:

„at tu, Iovis inclita proles,
arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete,
inque pyram structis, arcum pharetramque capacem
regnaque visuras iterum Troiana sagittas
ferre iubes Poeante satum, quo flamma ministro
subdita.“

Haec a tragoedia aliena (cf. p. 54 s.) eodem modo narravit compendii auctor, ut Apollodorus (II 159 s.) Diodorus (IV 38) Hyginus (f. 36) inter se congruentes docent:

184 s.). De Herculis in deorum hortos ad Hesperidas expeditione, quae in bibliotheca ultimo loco olim legebatur (cf. E. Bethe, l. l. p. 43, ann. 55), diversas fabulas Ovidius affert v. 190 et 198; cf. Apd. II 113, 120 s.

[13]) Lichae fabulam a mythographis commemoratam nescio quo fonte usus auxit Ovidius transfiguratione addita. Ceterum cf. Lactantium narr. fab. IX 3, similia quidem, sed non eadem referentem de Licha mutato.

Apd. II, 159 s.: „. . . *παραγενόμενος* (sc. *ὁ Ἡρακλῆς*) *εἰς Οἴτην ὄρος, . . . ἐκεῖ πυρὰν ποιήσας ἐκέλευσεν ἐπιβὰς ὑφάπτειν. μηδενὸς δὲ τοῦτο πράττειν ἐθέλοντος, Ποίας* (Diod. l. l.: *Φιλοκτήτης*, Hyg. l. l.: Philoctetes Poeantis filius) *παριὼν κατὰ ζήτησιν ποιμνίων ὑφῆψε. τούτῳ καὶ τὰ τόξα ἐδωρήσατο Ἡρακλῆς.*“

Uberioribus rursus exornata est coloribus quae sequitur v. 239 ss. narratio de Hercule in deorum numero collocato, quibus in versibus prorsus expressa est oratoria illa forma Ovidio propria. Sed apte rursus componantur simpliciores postremi versus cum iis, quae de eadem re Apollodorus et Diodorus tradunt (ll. ll.). Met. IX 271 s.:

„quem (sc. Tirynthium) pater omnipotens inter cava nubila raptum
quadriiugo curru radiantibus intulit astris.“ [14])

Apd. II 160: „*καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι. ἐκεῖθεν δὲ τυχὼν ἀθανασίας* (cf. met. IX 250 ss.) *καὶ διαλλαγεὶς Ἥρᾳ* (cf. met. IX 259 s.) *τὴν ἐκείνης θυγατέρα Ἥβην ἔγημεν* (cf. met. IX 400).“ Similiter rem narrat Diodorus in l. IX c. 38.

Sed ne hic quidem dimisit Ovidius fontem suum mythologicum. Obiter enim, antequam ad Galanthidis fabulam transiit, Heraclidarum res gestas attigit, quas in compendio post Herculis fabulam tractatas esse ex bibliothecae l. II c. 161 ss. colligendum est. Ac de hoc transitu quae dicenda sunt, supra attuli (p. 62 s.).

Ut comprobetur denique Ovidium tragoediam ad compendii fabulas exornandas haud sedulo sane evolvisse, in comparationem vocanda est Ovidii Epistularum IX Metamorphosibus prior, in qua eandem fabulam tractavit. Ibi enim quae in Metamorphosibus tragoediam respiciunt eadem reperiuntur; ita, ut graviora proferam, epistulae idem ille fabularum Herculearum ordo subest, quem ad Sophoclis exemplum referendum esse supra (p. 55) vidimus; cum autem in Metamorphosibus res obscurata sit (cf. v. 134 s.), in Epistula contra sicut in tragoedia Deianira queritur virum semper absentem „monstra et terribiles feras“ persequi (v. 33 s.; Trach. v. 27 ss.). Neque desideratur

[14]) In vasculis nonnullis pictus est Hercules quadrigio vehens ab Athena aut Victoria gubernato, quod praevolare solet Mercurius. cf. Furtwängler in Roscheri Lex. col. 2240. Ovidius quadrigium cum nube inepte coniunxit.

Herculis illa laborum enumeratio (v. 67 ss.), brevior sane quam quae in Metamorphosibus exstat (cf. p. 55). Cum autem omnino appareat, Epistulam multo artiore vinculo cum tragoedia cohaerere quam Metamorphoseon narrationem, consequitur ad Epistulam quidem componendam Ovidium Trachinias legisse[15]) et diligenter adhibuisse; cum autem in Metamorphosibus fabulam denuo tractaret, ipsam tragoediam eum iterum non adiisse, sed ex memoria quaedam repetivisse eorum, quae ex tragoedia in Epistulam transtulerit. Atque artius Metamorphoseis cohaerere cum Epistula quam cum tragoedia, singulari quodam confirmatur Epistulae et Metamorphoseon consensu, cum et hic et illic contra Sophoclis auctoritatem narretur, primum quidem de Herculis infidelitate Deianiram cognovisse (met. IX 137 ss.; epist. IX 3 ss.; cf. p. 54), tum demum ipsam Iolam Trachina pervenisse (met. v. 145; epist. IX 121 ss.). Addam et in Epistula (v. 151) et in Metamorphosibus (v. 149) Deianiram profiteri dignam Meleagro sororem sese praestituram.

CAPUT V.

De Ovidii fabulis Troicis.

Jam brevius quae restant notabiliora Ovidii mythopoeiae exempla absolvere iuvat.

Simillime quidem ut Herculis et Meleagri vel Argonautarum et Atheniensium fabulas Ovidius in l. XI coniunxit Pelei et Thetidis fabulam cum iis rebus Troicis quae bellum Troianum praecedunt (XI 199—795). Ut autem rem perspicias, narrationum contextum explicem:

[15]) Quod praeclare ostendit Birt in Mus. Rhen. vol. 32 (1877), p. 406 s.

Apollo et Neptunus, postquam Troiam moenibus cinxerunt, a Laomedonte pretio fraudantur. Hesione monstro marino oblata et ab Hercule liberata Telamoni uxor datur 199—217.

Peleus Thetidem vincit et uxorem ducit 218—265,
ob Phoci necem Aegina expellitur 268 s.

Daedalionis et Chionae fabula (a Ceyce narrata) 291—345.
Pelei armenta et lupus 346—409.
Ceyx et Halcyone 410—748.

Aesacus Priami filius in mergum avem mutatur 749—795.

Daedalionis igitur Chionaeque et lupi in saxum transformati et, quam praecipue coloribus exornavit, Ceycis Halcyonaeque fabulam coniunxit Ovidius cum antiqua illa fabula de Peleo; has omnes denique inclusit iis, quae ex Antehomericis ad usum suum conformavit. Quomodo autem de Troia Hesionaque ad Peleum venerit, ipse profitetur Ovidius v. 217 ss. Postquam enim Telamonem Hesionam ab Hercule uxorem accepisse commemoravit, sicut Telamonem ita fratrem Peleum dea potitum esse dicit. Cum autem huius fabulam statim adnecteret, ei accidit, ut contra mythographorum auctoritatem Phoci mortem et Pelei ex Aegina fugam (cf. Apollod. III 160 ss.) post Pelei cum Thetide nuptias demum afferret (XI 268 s.).

Ceycem et Halcyonam[1]) ut induceret, ipse excogitavit Peleum Trachina ad Ceycem venisse. Neque aliter invenit, ut ad Daedalionem et Chionam transiret, hunc fuisse Ceycis fratrem. Lupi denique fabulam in saxum transformati Nicandri exemplo[2]) cum Peleo coniunxit. Suo autem arbitrio Ovidius fabulam Trachina transtulit; apud Nicandrum enim res tum agebatur, cum Peleus cum armentis ab Iro discesserat, videlicet „μεταξὺ Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκέων γῆς“ (Ant. Lib. f. 38)[3]).

Jam accuratius cognoscitur, quae ratio Ovidium inter et Apollodorum intercedat. Praecipue compendii usum apparere arbitror ex facilitate, qua poeta a Troicis rebus ad Peleum transit et rursus, postquam rerum tenor amplissima illa de Ceyce et

[1]) Ceycis et Halcyonae fabulam ex Nicandro fluxisse U. de Wilamowitz ostendit in Herm. vol. 18 (1883), p. 417 ann. 2.

[2]) cf. Anton. Liberal. 38; ex Nicandri ἑτερ. α΄.

[3]) Male Ovidius rem obscuravit. Haud enim ex versibus eius intellegitur, quare Peleus gregem secum ducat. Quomodo autem Nicandri fabulam in singulis rebus mutasset, Ehw. exposuit in annot. ad. v. 348, 352, 381, 400.

Halcyona narratione interruptus est, illuc unde exiit revertitur. Quamquam autem duas has fabularum series non integras ex compendio transtulit, tamen in iis, quae selegit, non desunt similitudines cum Apollodoro apertae. Ita eodem modo atque mythographus (II 103 s.)[4]) de Troiae muris Hesionaque narrat. In Pelei autem et Thetidis fabula vestigia occurrunt eius formae, quam bibliotheca primo loco affert III 168; Aesaci praeterea mors et metamorphosis significatur saltem ab Apollodoro (III 147). Animadvertes denique, qua scientia Ovidius Trois progeniei nomina cumulaverit v. 756 ss. eadem fere atque bibliotheca (III 140 ss.); in quibus afferendis poeta, cum Ili Assaraci Ganymedis mentionem fecerit, pariter ac mythographus Ganymedis sortem leviter attingit.

Aesaci fabula ad finem perducta Ovidius ad initia belli Troiani a Paride adultero inchoati transit (XII 5). Adicit, quae Aulide, quae ante Troiam facta sint, nec prius res Troicas relinquit, quam Hecubam post Troiae excidium in canem mutatam obiisse narravit (—XIII 575). Atque utraque, Ovidii et bibliothecae, cuius epitomam tenemus (3, 1—7, 40), narratione inter se comparata imprimis cognoscimus, Ovidium ipsum rebus Troianis inseruisse fabulas de Caeneo et de Periclymeno in metamorphoseis exeuntes (XII 169—576), quas ante Troiam inter epulas Nestor profert,[5]) praeterea Nasonem Memnonis fabulam ex solito suo loco remotam Hecubae fabulae adnexuisse. Quod hic eadem de causa fecit atque in l. III, ubi fabulas contrarias Cadmi et Actaeonis inter se coniunxit.[6]) Nam de Hecuba fabulae similis ea de Memnone respondet; sicut enim Hecuba liberos Polydorum et Polyxenam amissos deplorat, ita Aurora Memnonem filium ab Achille interfectum luget.

Jamiam quae restant, ordine cum Apollodoro comparabimus.

A n t e h o m e r i c a quae dicuntur Ovidius tractat XII 5—579 (vel 145), Apollodorus bibl. ep. 3, 1—35. Belli causam carptim

[4]) Apollodorus fabulam inter Herculis res affert II 103 s. Sed valde suspicor eam inter res Troianas, ad quas pertinet, olim si quidem non tractatam, tamen significatam esse. Hyginus enim, qui fabulam ex eodem libro quo Apollodorus hausit (e. g. eandem Priami nominis etymologiam praebet), narrationem rebus Troianis inseruit.

[5]) Cf. c. II p. 16 et annot II 2.

[6]) Cf. c. II p. 18 et annot II 3.

tantum poeta perstringit; nil de Jove, qui bellum movere instituit (bibl. ep. 3, 1), nil de malo Discordiae, nil de Paride iudice invenies. Pariter atque in Herculis Thesei Argonautarum fabulis mediis in rebus incipit Paridem inducens,

„qui rapta longum cum coniuge bellum
attulit in patriam; coniurataeque sequuntur
mille rates gentisque simul commune Pelasgae.“

Breviloquentiam obscureque dicendi rationem habes poetae, qui omnibus nota profert. Ita ne Helenae quidem nomen affert, nec commemoratur Paridem cum Helena in Phoenicia moratum esse (bibl. ep. 3, 4), neque illae „coniuratae rates“ lucem accipiunt nisi appositis Apollodori verbis (ep. Sabb. 3,6):

„*Μενέλαος δὲ αἰσθόμενος τὴν ἁρπαγὴν ἧκεν εἰς Μυκήνας πρὸς Ἀγαμέμνονα, καὶ δεῖται στρατείαν ἐπὶ Τροίαν ἀθροίζειν καὶ στρατολογεῖν τὴν Ἑλλάδα. ὁ δὲ πέμπων κήρυκα πρὸς ἕκαστον τῶν βασιλέων τῶν ὅρκων ὑπεμίμνησκεν ὧν ὤμοσαν* . . . „de iureiurando illo cf. bibl. III 132: „*Τυνδάρεως τοὺς μνηστῆρας* (sc. *τῆς Ἑλένης*) *ἐξορκίζει* (sc.: *βοηθήσειν, ἐὰν ὁ προκριθεὶς νυμφίος ὑπὸ ἄλλου τινὸς ἀδικῆται περὶ τὸν γάμον*).“

De prodigio Aulide facto idem narrat Ovidius (XII 11 ss.) atque Apollodorus (ep. 3, 15) coloribus aliquot ex Iliadis l. II sumptis.[7])

Similiter res se habet in iis, quae Ovidius de Iphigeniae immolatione versibus mandavit (XII 24—37). Quae etsi breviter obscureque initio quidem narrata sunt (quare Diana irata sit, Ovidius nullo verbo dicit), tamen in universum eadem sunt ac quae compendii mythologici expilatores nobis tradunt (bibl. ep. 3, 21 s., Procl., Hyg. f. 98 etc.). Ex Euripidis quidem Iphigenia Aulidensi deprompsit ministros flentes circumque aras stantes et nonnulla alia, quae R. Ehwald in annotationibus ad l. XII v. 29 congessit. Unum restat. Secundum enim bibliothecam bis Graeci Aulide convenerunt; interpositum est bellum Teuthranteum (bibl. ep. Vat. 3, 17 s.). Quod Ovidius, neque aliter omnia quae, cum iterum Graeci Troiam navigarent, in Tenedo Lemnoque insulis facta sunt (bibl. ep. Vat. 3, 23—29), hunc in versum coartavit (v. 38):

[7]) Locis Homericis ab Ehwaldio ad Ov. v. 11, 16, 19 allatis addam Il. 311 = met. 15 s.; Il. 315 = met. 16; Il. 320 = met. 18.

„multaque perpessae Phrygia potiuntur harena (sc. mille carinae).“

Iisdem fere verbis met. VII 5 Ovidius Argonautarum errores significavit. Ceterum met. XII 109 Achilles adversus Cycnum de Tenne interfecto et de Telepho, qui bis senserit „opus hastae“ eius, gloriatur. Silentio transiit Ovidius, quae bibliotheca ep. 3, 28 s. refert de legatione a Graecis Troiam missa ad Helenam reposcendam (sed v. p. 64). Inseruit descriptionem illam Famae et eius speluncae (39—63).[8])

At iam quomodo Troiani Graecos appulsu litoris arcuerint, Protesilaus primus egressus „ab Hectorea hasta“ ceciderit, Graeci ex navibus exeuntes Troianos aggressi sint, Achilles Cycnum Neptuni filium vicerit, Ovidius eodem ordine et eodem fere modo ac mythographus narrat (bibl. ep. 3, 29 s.; met. XII 64—145); quae autem de Cycno transformato poeta praebet, ex alio fonte addita sunt.

Sequuntur in Metamorphosibus Caenei Lapitharum Centaurorum Periclymeni fabulae insertae, quae a Nestore narrantur (XII 169—576). Atque callide Ovidius nonnullas res, quae in proximis bibliothecae capitibus exstant, transitui ad fabulas eas intexuit. Cycno enim occiso indutiae fiunt (146 s.; Procl.: „*καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναιροῦνται*“; Apd. bibl. ep. Sabb. 3, 31; locos attulit R. Ehwald in annot.), Troiani urbem defendunt, Graeci castra muniunt (v. 148 s.; bibl. ep. Sabb. 3, 31; Procl.). Simili ratione in Cycni fabula lepide ipsum Achillem induxit gloriantem se Lyrnesum et Thebas cepisse (108—110), quae inter alias urbes ab Achille initio belli captas in bibliotheca enumerantur (ep. Sabb. 3, 33).

Absoluta Periclymeni fabula Ovidius 580 ss. summa brevitate res Troianas narrare pergit. Praeteriit omnino, quae in Iliade leguntur; ex iis autem, quae Posthomerica appellantur, Achillis mortem (580—611; cf. bibl. ep. 5, 3) ita tractavit, ut ipsam quidem rem breviter narraret, contra preces illas Neptuni copiose descriptas de suo adderet (580—596).

Achillis corpore concremato (612—619; cf. bibl. ep. 5, 5) arma eius inter Ulixem et Aiacem Telamonium rixam movent

[8]) Cf. c. II p. 33 et annot II 18.

(XII 612 ss.); cuius arbitrium ad Graecorum duces delatum esse (XIII 1) etiam compendium praeter alteram illam sententiam, scilicet iudices fuisse captivos Troianos, praebuisse bibliothecae epitoma Sabbaitica (5, 6) testis est. Quae autem de Aiacis morte et de flore, qui ex sanguine eius emerserit, Ovidius refert (XIII 384—399), ab Apollodoro (ep. 5, 6 s.) adeo discrepant, ut ex alio fonte ea sumpta esse apertum sit.

Redit poeta ad exemplum v. 399 ss. eodemque modo ac bibliotheca narrat, iam bello in decimum annum producto Ulixem arcessivisse Lemno Philoctetem cum Herculis sagittis et tandem Troiam cecidisse (399—403, bibl. ep. Vat. 5, 8).

Antequam autem uberioribus coloribus Polyxenae, Polymestoris, Hecubae in canem transformatae fabulas Naso tractavit (418—575), in quibus praecipue Euripidis Troades eum secutum esse G. Plaehn exposuit (l. l. p. 6 s.), pauca praefatus est de Troiae exitio (404—411),[9]) scilicet Hecubae in Chersonneso mutatae, Priami interfecti, Cassandrae violatae, Troianarum a Graecis abductarum, Astyanactis occisi mentionem facit. Ac sunt profecto in his quae Vergilium sapiant (v. Ehwald ad 410, 412, 413); cum autem plura in Aeneide non commemorentur, etiam hic Ovidium compendium ascivisse puto, ita ut ea, quae apud Apollodorum ep. 5, 21—25 tractantur, in paucos versus contraxerit. Quod si sumis, bene explicatur, cur Ovidius Hecubae fabulam iam 404—407 leviter tetigerit, quamquam eam 418 ss. demum uberius narravit. Etenim Ovidius etiam in l. III et VII Inonis et Athamantis, Procridis et Cephali fabulas, quas in contextu narrationum ex compendio translatarum paucis significavit, postmodo poetae alicuius auxilio advocato tractavit. De Memnonis denique fabula (XIII 576—622) hoc tantum proferre possum, Nasonem eam quoque in compendio legisse (cf. Apd. ep. 5, 3; Procl.), loco autem quo legi solet remotam narrasse secundum Alexandrinum aliquem poetam.[10])

Ac ne miretur quis Ovidium ex Antehomericis pauca, ex Posthomericis haud plura, ex Iliade et Odyssea autem fere

[9]) V. 404—407, 409—411, quos Ehwald in dubitationem vocavit, defendit nuper Helm, Mus. Rhen. vol. 56, p. 358 s.

[10]) V. Ehw. ad. v. 576.

nihil accepisse, accuratius scrutemur iudicium de Achillis armorum tractatum XIII 1—383. Permultas enim narrationes, quas Ovidius ordine non attulit, inseruit iis, quae ab Aiace et Ulixe de armis contendentibus proferuntur. Enumerabo fabulas graviores.

Aiax quidem Ulixi obicit ex *Antehomericis*: Ulixem, cum ad bellum ire nollet, insaniam simulasse 36—39 (cf. Apd. ep. 3, 7; Hyg. f. 95); Philoctetem Ulixe auctore Lemni relictum esse 45—55 (cf. bibl. ep. Vat. 3, 27); Ulixem Palamedem calumniatum esse 56—60 (cf. bibl. ep. Vat. 3, 8; Hyg. f. 105). Ex *Iliade*: Ulixem in proelio destituisse Nestorem vulneratum 64—67 (cf. Il. VIII 75 ss.); Ulixem a Soco vulneratum Menelai et ipsius Aiacis auxilio ereptum esse ex periculo 71—76 (cf. Il. XI 434 ss.); contra se lapidis ictu prostravisse Hectorem 82—86 (cf. Il. XIV 409); ferro pugnasse cum illo 87—90 (cf. Il. VII 45 ss.); commemorat denique Troianos progressos ignem coniecisse in naves Graecorum 91—94 (Il. XV 636 ss.)

Ab Ulixe vero afferuntur ex *Antehomericis*: se Achillem Scyri abditum interque Lycomedis filias latentem dolo cognovisse et ad bellum abduxisse 162—170 (cf. Hyg. f. 96; Apd. III 174[11]); Telephum vicisse et hasta sua sanum fecisse 171 s. (cf. Apd. bibl. ep. 3, 17—20; Hyg. f. 101); Aulide Iphigeniam a Clytaemnestra abripuisse 181—194 (bibl. ep. 3, 22; Hyg. f. 98); cum Menelao Troiam ad reposcendam Helenam missum esse 196—204 (bibl. ep. 3, 28). Ex *Iliade*: sese Achivis, cum ab Agamemnone decepti naves solvere voluerint, obstitisse 216—235 (cf. Il. II); nocte cum Diomede in Troianorum castra irrepuisse et Rheso Doloneque interfectis illius equos rapuisse 238—254 (cf. Il. X; bibl. ep. Sabb. 4, 4); multos Sarpedonis milites interfecisse 255—262 (cf. Il. V 677 ss.); addit Patroclem armis Achillis indutum Troianos reppulisse 273 s. (cf. Il. XVI, 119 ss.); a Thetide Achillem arma accepisse 288 s. com-

[11]) In bibliotheca non inter res Troianas, sed in Pelei fabula (III 174) narratur, quomodo Ulixes Achillem inter Lycomedis filias occultum agnoverit. Sed quia fabula ab Hygino, qui idem compendium exscripsit, inter Troica affertur, concludendum est eam ab eo, qui bibliothecam composuit, omissam esse. Fabulam autem olim in compendio lectam esse firmatur hac re, quod bibl. ep. 5, 11 narratur Ulixem ad Lycomedem missum esse, ut Neoptolemum Troiam adduceret.

memorat. Ex *Posthomericis* denique Ulixes affert se Achillis corpus ex pugna eripuisse 284 s., id quod compendium (cf. bibl. ep. 5, 4 et tabulam Iliacam[12]) Aiaci tribuit.

Atque haec omnia eadem sunt quae vel in Iliade, vel in Apollodori, Procli,[13]) Hygini compendii expilatorum relationibus leguntur, nisi quod Ovidius, ut utriusque herois laudes augeret, res paulisper mutavit (v. Ehw. ad 81, 230). Poeta igitur exempla sua non modo ex Iliade, sed ex omnibus sumpsit quae efficiunt cyclum fabulis armorum iudicium antecedentibus. Et id agebat, ut sibi exempla praesto essent, quae vel ab Ulixe vel ab Aiace obici possent adversario. Unde autem talia commodius petere potuit, nisi ex compendio eodem, quod Apollodorus Hyginus Proclus tabulae Iliacae auctor asciverunt? Concedo Iliadem tam bene novisse poetam Romanum, ut facile ei exempla apta in memoriam venirent, ac revera in rebus Iliacis afferendis librorum ordinem neglegit. At reliqua ordine narrat eodem, quo a mythographis afferuntur; quare eum utilissimum illud enchiridium, ut exempla sibi eligeret, percurrisse arbitror. Addam easdem res Ovidium narrare atque Apollodorum, et praecipue hac in re cum eo contra Proclum consentire, quod v. 99 Helenum captum cum Palladio rapto coniunxit. Nam cum Aiax factis suis gloriatus est, sic loqui pergit v. 98:

„conferat his Ithacus Rhesum imbellemque Dolona
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum.“

Quod recte ab Ehwaldio (ann. ad v. 99) ad bibl. ep. 5, 9 s. refertur.[14])

Quae cum ita sint, eadem ratione ac Thesei vel Herculis facta Ovidius tractavit ea, quae de Troicis in compendio legit. Sed ne lectoribus eruditis molestum esset, partem tantummodo fabularum ordine protulit, reliquas autem, ut in Herculis fabulis (l. IX 182 ss.), ab ipsis heroibus breviter commemorandas fecit.

[12]) Cf. Jahn-Michaelis, Griech. Bilderchroniken p. 28.

[13]) Procli excerpta non ipsorum epicorum carminum argumenta praebere, sed ex compendio mythologico fluxisse demonstravit E. Bethe, Herm. 26 (1891) p. 593 ss.

[14]) Consentiunt Proclus et hypotheseos Philoctetis Sophoclei auctor Helenum Achivis praedixisse, Philoctete ex Lemno insula adducto Troiam captum iri. Quod secundum Apollodorum Calchantis vaticinium est (ep. 5, 8).

Jam finem quaestionis faciam, cum nil intactum relinquere nec mihi proposuerim, nec deceat exiguum huius modi libellum.

At ne hoc praeteream: exstant certa indicia, Ovidium etiam in primis duobus Metamorphoseon libris eodem modo fabulas composuisse atque in iis, quos modo inspeximus. Vidit enim M. Mayer (Herm. vol. XX, p. 137) Ovidium duobus locis (I 255 et II 309) contra eos auctores pugnare, qui Jovem diluvium ideo misisse dicunt, ut terrarum omnium deflagrationem a Phaethonte excitatam exstingueret. Quod Hyginus narrat f. 152. Ipse autem Ovidius diluvium cum Lycaonis interitu coniunxit. Eandem fere rem Apollodorus tradit III 99: „*Νυκτίμου* (sc. *τοῦ Λυκάονος*) *δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο. τοῦτο ἔνιοι διὰ τὴν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.*"

Equidem hunc locum rem plane aperire non existimo; sed illum alterum afferam, ubi Apollodorus Jovem diluvium Deucalioneum misisse dicit, ut aetatem aeneam deleret (bibl. I 47). Vide iam, quo ordine Ovidius fabulas disposuerit. Cum enim mundum a deo quodam procreatum esse narraverit (I 21—75), de gentis humanae origine duas sententias praebet; secundum alteram quidem deus ille mundi opifex homines „divino semine" creavit (78 s.), secundum alteram autem Prometheus terra et aqua mixtis (80—86). Atque hoc eodem modo ab Apollodoro traditur I 45.[15]) Aurea autem et argentea et aenea aetate exstincta (89—127) ferream ortam esse Ovidius exponere pergit insidiosam sceleratamque (127—150). Quam Juppiter, cum ultro Gigantes caelum oppugnare (151—162) et Lycaon ipsum deum interimere (212—243) conati essent, deorum concilio convocato (163 ss.) diluvio delevit (253—312). Soli Deucalion et Pyrrha in Parnassum montem se receperunt et postquam fluctus recessit lapidibus post tergum iactatis novos homines creaverunt (313—415).

Qua a rerum serie alienas esse de Gigantibus (151—160) et de Lycaone (165—243) fabulas apparet, quas Ovidius ut scelera iramque augeret inseruit. Quae autem restant de Prometheo qui homines creaverit, de diluvio sub Deucalione ab Jove misso, de Deucalione cum Pyrrha in arca ab interitu servato, de novae gentis humanae ortu, et artissime inter se cohaerent et eodem ordine narrantur atque apud Apollodorum (I 45—48). Neque in singulis nonnullis rebus deest similitudo. Velut illud, Deucalionem cum coniuge (319) „parva rate vectum" in Parnassum fugisse, melius et explicatius legis in bibliotheca I 47 s., ubi Prometheus Deucalionem et Pyrrham cibis instructos in arca includit. Atque etiam etymologiam vocis *λαοί*, quam „*ἀπὸ τοῦ λᾶας ὁ λίθος*" derivatam esse Apollodorus (I 48; cf. Hyg. f. 153) contendit, significare videtur Ovidius v. 414 s.:

„inde genus durum sumus experiensque laborum
et documenta damus, qua simus origine nati."

[15]) Illius sententiae fortasse exstat indicium apud Apd. I 46, ubi narratur Pandoram a **deis primam** mulierem creatam esse.

Quod autem Ovidius diluvium non cum aenea ut Apollodorus, sed cum ferrea aetate[16]) coniunxit, inde explicatur, quod interposita de suo aetatum illa serie diluvium postremae aetati subiungere coactus est.

In plurimis igitur Metamorphoseon libris compendii mythologici usum ostendimus. Atque illius enchiridii imitatio iam ex eo elucet, quod Ovidius similiter ac bibliotheca „prima ab origine mundi" (I 3) narrare exorsus est, et deinde Graecorum fabulas secundum heroum genera dispositas tractavit praecipuas, Troicas denique res exposuit. Cum autem in fine compendii Ulixis in patriam redeuntis errores lecti essent, Ovidius quippe qui Romanos lectores respiceret, omissis Achivorum nostis Aeneae res gestas Vergilium secutus addidit, et ultro inde a l. XIV v. 609 Romanorum regum seriem, Caesaris mortem et apotheosin, Octaviani denique laudem carmine celebravit, deducta scilicet narratione usque ad ipsius tempora.

Atque ut quae summa sit huius dissertationis complectar: Ovidius, ut amplissimis et ornatissimis aedificiis suis solida substrueret fundamenta, lapides sibi deprompsit ex compendio mythologico Apollodori bibliothecae simili, quod traditum tenorem fabularum commode ei praebebat. Inde igitur hausit continentes

[16]) Quamquam ultimam vocat ferream aetatem Ovidius v. 127, tamen paulo post, v. 159 s., ex Gigantum sanguine novam hominum gentem factam esse dicit. Ergo Ovidius res diversas libidine inter se connexuit.

fabularis historiae partes, quae sunt de Cadmo et eius progenie, de Medea et Argonautis, de Atticis rebus, Theseo, Meleagro, Hercule, bello Troiano. Quas fabulas, ut ei placuit, aut breviter commemoravit, aut quae in metamorphoseis exeunt, velut Europae, Actaeonis, Procnae et Philomelae, Herculis fabulas uberius explicavit, aut transformatione ex alio fonte addita, velut Meleagri et Lichae, proposito adaptavit.

Assidue autem interrumpitur tenor rerum ex compendio acceptus narrationibus a mythographo alienis et ab ipso poeta insertis. Quas summa colorum venustate eminentes poetarum cum popularium, tum Alexandrinorum auxilio ascito exornavit. Ut vero has narrationes intercalatas iucundissime cum fundamentis illis coniungeret, sollertem Ovidius et ingeniosum se praestitit poetam. Qua in re quibus artificiis praecipue usus esset, hic et illic exemplis insignibus allatis ostendimus.

Hac igitur componendi ratione vitavit Ovidius, ne lectores continuo narrationum tenore fatigaret; immo contra assecutus est, ut non modo innumerabilium quas affert fabularum copia certis lineis disponeretur, sed etiam nova quaedam et ea iucundissima evaderet fabularis historia, in qua variarentur trita ignotis novisque, simplicius tractata splendide illustratis et exornatis.

INDEX CAPITUM.